DE RHETORICA VEDICA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI

PROPONEBAT

A. GUÉRINOT

LUTETIÆ PARISIORUM

E. LEROUX EDIDIT

28, VIA DICTA BONAPARTE, 28

—

MDCCCC

DE RHETORICA VEDICA

Chalon-sur-Saône. — Impr. française et orientale de E. Bertrand

DE RHETORICA VEDICA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI

PROPONEBAT

A. GUÉRINOT

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

LUTETIÆ PARISIORUM

E. LEROUX EDIDIT

28, VIA DICTA BONAPARTE, 28

MDCCCC

PROŒMIUM

Mihi hoc de Rhetorica vedica opusculum inscribenti, quæ verborum fuerit compositio in Rig-Veda et quas vocabulorum vias idem liber varias receperit, investigare in animo est.

Omnium equidem documentorum quæ ab Indis Europæ gentes acceperunt, illud opus quod Rig-Veda inscribitur, longe antiquissimum est, ideoque maximi momenti et ponderis perspicue esse videtur, unde fit ut commentariis plurimis jam explanatum sit.

Multo rarius contra Rhetorica vedica enodata est. Cujus rei duplex est causa : altera quod Indi nullum istiusmodi opus nobis reliquerunt ; altera demum quod Occidentales eruditi qui ad hanc materiem, de qua agimus, accesserunt, eatenus progressi sunt ut quædam orationis vocabula singularia in Rig-Veda enuclearent, nec summam rei explicare sibi proposuerunt.

Quod igitur intentatum alii reliquerunt infectumque, ego rursus, si ullo modo potuero, id et tentare et perficere mihi proposui, et, ut ait Cicero, « rimas implere » volui. Itaque jam nunc rationes et artes e quarum summa constat Rhetorica quæ viget in Rig-Veda, ordine expromam.

Sed profecto licet, antequam destinata componam, auctores et libros referre qui non nihil mihi prodesse et nonnulla indicia præbere poterant.

Bergaigne, primus omnium, in Rhetorica vedica operæ plurimum consumpsit. Etenim, cum ille amplissimus auctor suo opere *Religion védique* inscripto modum novum viasque recentiores ad Rig-Veda explanandum insigniret ac nobilitaret, plurimas locutiones in lucem protulit plurimasque dictiones quibus præcipue insolitis quoddam dicendi genus singulare notabatur[1].

Anno 1883 illa libri *Religion védique* editio tantum peracta fuit; at jam Bergaigne, biennio ante, volumen quoddam peculiare, *Quelques Observations sur les figures de rhétorique dans le Rig-Véda*[2] inscriptum composuerat, in quo permultis exemplis quasdam ex illis dicendi figuris explanabat atque illustrabat.

Quo in opusculo similitudines ac comparationes argutissime ac minutissime sunt inspectæ : quippe, præter illas comparationes quæ simplices dici possunt, Bergaigne secernit et *des comparaisons doubles* (geminas) et *des comparaisons retournées* (inversas); mox, quid ex his verbis intelligendum sit, videbimus. Quidquid id est, non mihi operæ pretium visum fuit comparationes *retournées* (inversas) dictas servatum iri, quæ, mea quidem sententia, nihil

1. Bergaigne, *La Religion védique*, 3 vol. in-8°, in *Bibliothèque de l'École des Hautes-Études*, Lutetiæ Parisiorum, 1878-1883. — Cf. præsertim III, 342. Index II.

2. Bergaigne, *Quelques Observations sur les figures de Rhétorique dans le Rig-Véda*, in *Mémoires de la Société de Linguistique de Paris*, IV, 96 sqq.

aliud sunt nisi genus quoddam illarum comparationum *doubles* (geminarum).

Præter has comparationes, Bergaigne, in opusculo de quo loquimur, illas quoque quæ haud semel insunt vedicæ orationi, ambages extricare conatus est; istuc tamen auctor noster minus progressus est, quod sane testatur paragraphus qui inscribitur *Galimatias triple et quadruple.* Revera « galimatias » id est istæ ambages ex synchisi vel confusione rationum multarum et simplicium sed varie dispositarum manant.

Ad hoc, vedicas comparationes Bergaigne[1], anno 1887, tractavit in alio libello, in quo tamen tunc grammatices et non meræ rhetorices peculiariter curiosus fuit; quam ob causam, illum libellum velut prioris operis supplementum designamus.

Post Bergaigne, A. Hirzel, haud mediocris scriptor, se ad comparationum in Rig-Veda inclusarum studium specialiter contulit[2], et in primis hoc sibi proposuit ut commonstraret quæ fuerint res quarum nomina sic comparationis vicem præbuerint. Si igitur Rig-Veda figuræ translationesque tali modo fuerint inspectæ, in duodecim præcipuas species distribui poterunt, prout quæque ad deos,

1. Bergaigne, *La Syntaxe des comparaisons védiques,* in *Biblioth. de l'École des Hautes-Études*, fasc. 73 (*Mélanges Renier*), p. 75-101.

2. A. Hirzel, *Gleichnisse und Metaphern im Rig-Veda*, in-8°, Leipzig, 1890.

— Mihi quoque ejusdem auctoris *Der Rig-Veda und seine Sprache*, in-8°, Aarau, 1895, notandus est, qui sane libellus præsto nobis non fuit; at nihil aliud est nisi opusculum undeviginti paginarum excerptarum ex publica disputatione in qua verisimiliter sunt eadem atque in supradicto opere.

ad historiam, ad hominem e corpore simul et ex animo constantem, ad domesticam vitam, ad religionem, ad civitatem, ad artem, ad scientiam, ad bellum, ad naturam, etc..., spectat (Vide p. 6). Quod vero ad naturam pertinet, Indi quidem vedicorum temporum omnem rationem summamque curam, *eine ganz besondere Aufmerksamkeit* (Vide p. 5), in phænomenis ab illa prolatis adhibuerint. Atqui e figuris et præsertim e comparationibus hac ratione inspectis consequatur ut hymni vedici certissima præstantissimaque de cultis populorum illius ætatis moribus, vitaque privata et publica ac superstitionibus, etc..., documenta præbeant (Vide p. 3, 4, 5).

Hæc sane inductio probabilis esse videtur; attamen non infitiandum est, omni subducta ratione, documenta nobis in Rig-Veda comparationibus occurrentia esse pauciora et parvi momenti. Præterea hymnorum auctores non sibi nos ita certiores facere proposuerunt. Etenim comparatio in Rig-Veda constituit artem quæ specie tantum arguta sollersque videtur, sin autem descripte erit inspecta, et rhetorices rudimenta et paupertatem orationis et inopiam verborum denotabit. Quid facilius enim cupienti ignis ardentis vim exprimere quam dicere : « Ignis ardet ut sol? » Atqui nihil aliud agunt vedicæ comparationes : illa ars est igitur simplex et in promptu posita ad quam nimirum, natura duce, Rig-Veda poetæ adducti sunt.

Non itidem sunt antitheta : in quibus revera agitur meditata ratio quæ speciosæ venustatis affectationem quamdam declarat; quippe occurrit *un raffinement de style plus savant*, ut auctoris nobilis,

qui de hac materia scripsit, verba usurpem[1] (Vide *op. cit.*, 101).

« Pour avoir méconnu la vertu de l'antithèse, » inquit V. Henry, on a parfois, non seulement » failli à atteindre le vrai sens d'un mot, mais » substitué un à peu près banal à la traduction » exacte d'un autre mot d'ailleurs parfaitement » connu, et faussé ainsi le caractère de tout un » passage » (Vide *op. cit.,* 96-97).

Præclare etiam nunc V. Henry dixit; etenim antitheton lucem magnam permultorum vocabulorum significationi adhibet, plurimosque in Rig-Veda locos enucleat, qua dicendi figura persæpe usi sunt quoque hymnorum scriptores, præsertim cum quibusdam in sententiis diu hærere volebant.

Attamen antithetorum usus re ipsa crebrior non ducendus est nec quærendus ubi non sit. Istud fortasse V. Henry non satis præcavit[2]; nam, ut opinor, nimius est qui cum illo contendit « que cette figure » fait le fond même de la poésie védique, que plus » on y regarde de près, plus on l'y voit transparaître à travers les obscurités de la langue, du » lexique et de la phraséologie, et que, dans l'incertitude où nous laissent le plus souvent les » autres critères d'interprétation, celui-ci est un » des plus sûrs pour nous permettre de dégager, » avec une approximation infinitésimale, le sens » précis qu'un poète a attaché à la stance qu'il » composait » (Vide *op. cit.*, 82).

Quod si se res sic haberet, antitheton esset velut

1. V. Henry, *L'Antithèse védique*, in *Revue de Linguistique et de Philologie comparée*, XXXI, 81 sqq.
2. Quod ipse confiteri videtur (Vide *op. cit.*, 106-107).

cardo libri Rig-Veda inscripti. Atqui non ita se res habet; quin imo illa artis oratoriæ ratio minus in hymnis usitata est quam multæ aliæ figuræ, ut comparationes et personarum ficta inductio.

Ex illis operibus supra memoratis documenta pretiosa quidem, sed, ad summum, circumscripta et tantum ad proprias orationis vedicæ figuras pertinentia, adhuc excerpsimus. Quæ autem in præcipuis nostri REGNAUD invenimus operibus et nuperrime in vulgus editis, majora atque præstantiora sunt.

Jam equidem in libro *Les premières Formes de la religion et de la tradition dans l'Inde et la Grèce*[1], indicaverat Regnaud præcipuas usitatioresque vedicæ rhetorices vias, scilicet :

Personarum fictam inductionem (Vide p. 96-97);
Comparationem (Vide p. 97-98);
Utriusque figuræ compositionem (Vide p. 101).

Illuc rursus rediit idem auctor in libro *Études védiques et post-védiques*[2], in quo tribus supradictis orationis artibus addit « le dédoublement du même » objet personnifié sous des noms différents » (Vide p. 171).

In alio demum opere[3], præsertim de his duabus orationis artibus:

1° de suffectionibus,
2° de personis inductis,

multa dixit, e quibus cunctas ab Indis ad Europæos

1. In-8°, Lutetiæ Parisiorum, 1894.
2. In-8°, Parisiis-Lugduni, 1898.
3. Regnaud, *Comment naissent les mythes*, in-12. Lutetiæ Parisiorum, 1898 (Vide : Résumé, p. 245-250).

mythologias ortas fuisse existimat. Atqui suffectiones constant in eis figuris quas noster scriptor definierat comparationes, quibus ipse implicitis comparationibus nomen imposui, quia nulla suffectio, ut opinor, sine comparatione esse potest.

Illa est summa documentorum quæ de materia quam aggredior, evolvi atque inspexi ; jam mox quomodo his usus fuerim, paginæ sequentes testabuntur.

Quam autem ingressus sum viam libri Rig-Veda interpretandi ille doctissimus professor Regnaud aperuit atque inauguravit, cum vedicos hymnos nihil aliud esse nisi sacrificii meram nudamque descriptionem contendit. Quamobrem ad duo opera[1] in quibus ipse suæ principia rationis auctor noster dedit, lectorem ampliora cupientem rejicio.

1. Regnaud, *Le Rig-Véda et les Origines de la Mythologie indo-européenne*, in-8°, Lut. Par., 1892.

Regnaud, *Les premières formes de la religion et de la tradition dans l'Inde et la Grèce,* in-8°, Lut. Par., 1894.

DE RHETORICA VEDICA

CAPUT PRIMUM

QUÆ SINT GENERATIM ET FORMA ET SPECIES ET COMPOSITIO ORATIONIS IN RIG-VEDA

Constat inter omnes commentatores quamdam artem rhetoricam inesse Rig-Veda multiplicem et viis utentem sæpe insolitis quas propemodum tragici apud Græcos chori referunt.

Ex ista profecto arte rhetorica fit ut tot Rig-Veda paginæ perobscuræ sint : quod jam veteres Indi, ævo vedicis temporibus proximo, intellexerant; nam in *Nirukta* et in *Prātiçākhyas* elocutiones quarum vera vis eos fugiebat, grammatice explanare, et in *Brāhmaṇas* dilucide doctrinam, cujus facti erant ignari, verbis disserere, conabantur.

Quarto decimo post J. C. natum sæculo, cum *Sāyaṇa* brachmanicæ explanationis leges proferret, præclare variis unius ejusdemque vocabuli interpretationibus quas nonnunquam edit, verborum Rig-Veda compositionem sibi sæpe obscuram esse demonstrat.

Hoc quidem inter omnes nostræ ætatis interpretes convenit : « La rhétorique védique, ut in » quodam doctissimi BERGAIGNE libello[1] legimus, » est une rhétorique bizarre qui paraît avoir effa- » rouché jusqu'à ce jour les interprètes les plus » autorisés du Rig-Véda. Plutôt que d'y con- » former leurs traductions, ils ont, pour éviter » l'étrangeté des figures et surtout la cacophonie » des métaphores discordantes, recouru un peu à » tous les moyens ; »

et infra in eodem libello :

« ... les auteurs des hymnes ne sont jamais plus » satisfaits d'eux-mêmes que lorsqu'ils ont assemblé » des expressions qui hurlent d'effroi d'être ac- » couplées[2]. »

WHITNEY in eadem sententia est :

« Une portion considérable du Rig-Véda, inquit » profecto[3], est une pure poésie machinale, d'ori- » gine artificielle, rapiéçage de lieux communs » réunis par des combinaisons nouvelles, ou un » remaniement de vieux thèmes avec des allusions » mystiques et inexplicables, des concetti tirés par » les cheveux et une phraséologie pénible, qu'il est » impossible de traduire en produisant un sens » suivi. »

OLDENBERG quoque eisdem fere verbis dicit[4] :

« So wiederholen die Dichter immer wieder die

1. Bergaigne, *Quelques Observations sur les figures de rhétorique dans le Rig-Véda,* in *Mém. de la Soc. de Ling. de Paris,* IV, 96.

2. Bergaigne, *eod. lib.*, 97.

3. Whitney, *Le prétendu hénothéisme du Véda,* in *Rev. de l'Hist. des Religions,* VI, 138.

4. Oldenberg, *Die Religion des Veda,* in-8°, 1894, p. 4.

» alten verstandenen oder unverstandenen Anspie-
» lungen, Paradoxen, Räthsel. »

Pariter audiendus est Barth :

« On voit souvent, inquit ille[1], les chantres vé-
» diques s'évertuer à se rendre inintelligibles et à
» étouffer en quelque sorte eux-mêmes leurs con-
» ceptions sous un amas d'identifications incohé-
» rentes. »

Ceterum idem scriptor haud semel eamdem opinionem protulit :

« La langue (du Rig-Véda), ait quoque[2], est sou-
» vent une sorte de jargon maçonnique, qui devait
» n'être intelligible qu'à des initiés ; »

aut :

« Les rishis usent et abusent de rengaines con-
» sacrées ; ils jouent avec elles ; elles sont le jargon
» mystique, le patois de Chanaan de l'époque.
» Aussi, plus une association de mots est chez eux
» fréquente, moins elle est précise. Ajoutez que
» l'origine de ces formules a pu être d'un puéril à
» défier toute sagacité moderne[3]. »

Hirzel autem in libro imprimis comparationibus et translationibus scilicet metaphoris in Rig-Veda inclusis dedicato, scribit :

« Sie (die Rishis) häuften ihre Bilder so über-
» mäszig, dass sehr oft ihre Rede zum Räthsel
» geworden ist[4] ; »

1. Barth, *Les Religions de l'Inde,* in *Encyclop. des Sciences religieuses,* 1879, VI, 526.
2. Barth, *Bulletin critique des religions de l'Inde,* in *Rev. de l'Hist. des Religions,* I, 245.
3. Barth, *Bulletin des religions de l'Inde,* in *Rev. de l'Hist. des Religions,* XI, 41.
4. A. Hirzel, *Gleichnisse und Metaphern im Rig-Veda,* p. 7.

aut hoc quoque:

« Es kam dem Rishi an, durch Vergleiche
» und Metaphern, oft der kühnsten Art, seine
» Gedanken gewissermaszen zu verkörpern[1]. »

Denique cum nostro REGNAUD vedicæ orationis singula quædam recensemus:

« La pauvreté, inquit[2], dans les compositions
» védiques est dans le fond des idées, et la richesse
» dans la forme qui les revêt...

» L'art du poète consiste à varier à l'infini la
» peinture d'un même tableau, ou l'expression d'un
» même objet. Sa tâche est d'amplifier et de nuancer
» sans relâche une matière essentiellement infé-
» conde et monochrome. C'est de là que naîtront sa
» rhétorique et son esthétique. Il inventera et il
» développera en conséquence les procédés qu'on
» retrouve à l'aurore de toute littérature pour ferti-
» liser la pensée naissante, comme ils reparaissent
» à son déclin afin de rendre une apparence de
» vie à sa sève épuisée. L'âme de tout l'art litté-
» raire, la comparaison, apparaît ici sous ses formes
» les plus naïves, celles de l'allégorie, de l'énigme,
» du paradoxe, de l'antithèse, du calembour et de
» l'allitération[3]. »

Quidquid id est, ex ipso istarum orationis variarum rationum usu apparet ut sententia in Rig-Veda,

1. A. Hirzel, *Gleichnisse une Metaphern im* Rig-Véda, p. 3.

2. Regnaud, *Le Rig-Véda et les Origines de la mythologie indo-européenne,* p. 67-68.

3. Non mihi has quoque de Rig-Veda sermone opiniones referre prohibeatur:

ROTH loquitur de « Schwierigkeit der vedischen Sprache ».

(Böhtlingk-Roth, *Sanscrit Wörterbuch,* I, Vorwort, p. IV).

quasi alte jacens in permultis omnis generis locutionibus, abdita lateat, nedum protinus pateat. Quin imo, hæc omnia jam maxime dissona e perangusta connexione invicem conjunguntur et propemodum miscentur artificiis quibus ambitiosum acumen præfuisse videtur.

Est igitur necesse partes vedicæ orationis ab interprete ante omnia subtiliter dispici, illasque illustrari vias vel artes quibus ad animi sensus exprimendos ac varietate distinguendos prisci Indi usi sunt; tunc dilucide patet illos animi sensus fuisse simplicissimos nec quasdam superavisse regiones humiliores simul et humaniores; nedum illa cogitata in pantheismum absolutum, ut sæpius adhuc contenderunt, excedant, vel ad mysticismum quemdam metaphysicum, ut nonnulli interpretes crediderunt, assurgant.

Analysis congruenter est via una qua in studio vedicæ rhetorices uti debemus; quam enim si ad singulos Rig-Veda libri versus adhibueris, diversas invenies figuras quæ insunt et hoc modo distribui possunt:

GRASSMANN etiam loquitur de « Kühnheit der Bilder ».
(Grassmann, *Rig-Veda übersetzt*. Leipzig, 1876. Erster Theil; Vorwort, p. VI. — Cf. A. Ludwig, *Ueber Methode bei Interpretation des Rigveda*, Prag, 1890, Einleitung).

V. HENRY designat « les obscurités de la langue, du » lexique et de la phraséologie ».
(V. Henry, *L'Antithèse védique*, in *Rec. de Linguist. et de Philol. comp.*, XXXI, 82).

A. LANG denique dicit: « Les hymnes (védiques) anciens » sont encore enveloppés de brouillard, tant à cause de la » difficulté de la langue où ils sont écrits que de la diver» sité des interprétations modernes. »
(A. Lang, *Mythes, Cultes et Religion*, Gall. Transl. 1896, p. 216).

1° PERSONARUM INDUCTIONES, in quibus res inanimatæ interdum ducuntur animatæ agentesque ac multis depinguntur proprietatibus quæ persæpe eo assequuntur ut illæ res inanimatæ revera homines esse videantur.

2° COMPARATIONES, in quibus nomen rei comparatæ jungitur cum nomine rei comparationem ducentis (EXPLICITA COMPARATIO), et sæpe etiam in locum hujus nominis reponitur (IMPLICITA COMPARATIO).

3° Vocabula quæ unam eamdemque rem verbis diversis signatam et multifariam positam effingunt, scilicet ITERATIONES.

4° Duæ tresve res in unum et idem confusæ et una eademque voce expressæ, scilicet ASSIMILATIONES.

5° Contraria contrariis opposita, scilicet ANTITHETA.

6° AMPLIFICATIONES.

7° PAROMŒA.

8° Ejusdem verbi eodem casu usurpati REDINTEGRATIO.

9° INTERCALARES VERSUS, id est, reiteratio totius vel periodi vel carminis, scilicet CLAUSULA.

Hæ sunt equidem variæ orationis rationes quæ fere in singulis Rig-Veda libri locis permultæ occurrunt, de quibus nunc singillatim in capitibus sequentibus disseram; in ultimo demum capite ostendam quanta fuerit implicatio quæ ex illarum rationum complexione manaverit utque sermo Rig-Veda sæpe ambiguus factus sit.

CAPUT SECUNDUM

DE PERSONARUM FICTARUM INDUCTIONE

Hæc orationis ratio sita est in re quadam inerti atque inanimata inducenda quasi prædita esset proprietatibus quæ ex hac eadem re animantem quemdam motus et mentis participem, imo etiam merum hominem efficiunt. Etenim cum, verbi gratia, dicimus aquam in effervescendo « cantare », hanc habemus aquam modulatos vocis sonos emittentem ritu hominis reipsa canentis.

Personæ inductæ in Rig-Veda et etiam multifariæ occurrunt :

1° Nunc agitur de re inanimata et nomine appellativo signata cui continuatio seriesque proprietatum sive physicarum sive ethicarum ad illius rei quasi animatæ inductionem pertinentium, attribuitur : hanc rei ipsius inductionem appellabimus.

2° Persæpe autem non res ipsa sic animata, at tantummodo proprietas quædam aut epithetum illi rei congruens inducitur. Quæ cum ita sint, hæc orationis ratio ab appellativo nomine quod rem indicat ad nomen adjectivum quod eam definit, extenditur, et huic adjectivo ne juncto quidem cum nomine quod prius distinguebat, inhæret. Quid multa? Hic de attributi inductione agitur.

3° Tertia denique inductionis species occurrit,

cum abstractiones tanquam personæ inducuntur : vocabulum abstractum quo res incorporalis et commenticia designatur hanc inducit rem tanquam veram et animatam.

Jam clariores illas tres rationes quibus personæ fictæ inducuntur confestim exemplis futurus sum.

§ 1. *Res ipsa tanquam persona inducitur*

In versu :

I. 1. 5. *agníḥ... devó devébhir á gamat.*
« Ignis fulgens per fulgentes venit. »

in hoc loco, ut ait Regnaud[1], « le feu se trouve » personnifié par ce seul fait que le mot qui le » désigne est employé comme sujet d'un verbe de » mouvement ».

Ceterum hæc rei ipsius inductio multis modis fit.

I. — Quamprimum est, si minus clara, at certe tacita continetur in vocabulis vocative usurpatis quæ res inanimatas designant. Liquet enim ex hujusmodi locis :

I. 44. 13. *çrudhí.... agne.*
« Audi, o ignis ! »

IX. 67. 28. *prá pyāyasva.... sóma.*
« Tumesce, o soma ! »,

illum sermonem, hinc ad ignem, illinc ad soma, eodem modo quo ad hominem pertinere ; ignis igitur et soma veræ personæ habentur.

1. Regnaud, *Les premières formes de la religion et de la tradition dans l'Inde et la Grèce*, p. 96-97.

II. — Alia tamen est via aptior ad res inanimatas tanquam personas inducendas, quæ res directo animatas agentesque inducit et nominibus appellativis ipsas designantibus epitheta animantibus præcipueque hominibus convenientia adjicit; quod loci infra citati testantur :

I. 19. 1. *marúdbhir agna á gahi.*
« Per vehementes[1], o ignis! veni! »

III. 10. 4. *sáh.... agnír devébhir á gamat.*
« Hic ignis per fulgentes venit[2]. »

IV. 13. 1. *práty agnír ušásām ágram akhyat.*
« Ignis aurorarum acumen aspiciebat[3]. »

III. 1. 13. *apám gárbhaṃ darçatám óšadhīnāṃ vánā[4] jajāna.*
« Aquarum fœtum nitidum plantarumque silva[5] genuit. »

In omnibus illis exemplis, inter multa alia lectis, res inanimatæ, scilicet ignis et silva, inducuntur tanquam propria animantibus solis facinora agentes; istæ ergo res inanimatæ animantibus et ideo personis æquiparantur.

1. *Marút*, epitheton flammis utpote concitatis consentaneum.
2. Cf. supra, I. 1. 5. — *Fulgentes*, id est, flammæ fulgentes; *devá* (e *div*), *fulgens*, est enim epitheton frequentissimum vocis *ignis*.
3. Ad verbum : « fulgebat contra (*práti*). »
4. *Vánā* feminina est positio *vána* (vid. Grassmann, *Wörterb. z. R. V.*).
5. *Silva* metaphorice designat ignis alimenta quæ ad sacrificium faciendum necessaria sunt. Item *aquæ* ac *plantæ* metaphorice libamenta designant; *fœtus* autem *aquarum* (*gárbha*) est ignis qui e libamentis oritur.

III. — Fateor equidem istam personarum inductionem proprie physicam esse ; ipsa autem attributis ad mores pertinentibus plenius suppleri potest : tunc demum res inanimatæ tanquam et sensu et voluntate et mente præditæ inducuntur.

Ita ignis dicitur haud inscius esse libamenti, metaphorice locutione *bonæ partitionis* designati : ignis enim suam libaminis partem capit :

> I. 94. 16. *sá tvám agne saubhagatvásya vidván.*
>
> « Tu, qui ades, o ignis! bonam partitionem cognoscens[1] ! »

At libamen, cum masculine habetur, est soma quo ignis *corroboratur;* unde locutio :

> I. 189. 1. *ágne... viçvāni deva vayúnāni vidvān.*
>
> « O ignis fulgens! omnia corroboramenta cognoscens! »

Illa autem *cognitione*, qua ignis ita metaphorice præditus est, ad *prolatandum*, id est, ad incendendum augendumque libamen adhuc iners et quasi *mortuum* utitur :

> VI. 14. 5. *agnír hí vidmánā... devó mártam urušyáti.*
>
> « Ignis fulgens profecto per cognitionem rem mortuam prolatat. »

Per eamdem quoque *cognitionem* igni *cantus*, id est, strepitus soma inflammatorum, percipere licet :

1. *Vidván, cognoscens,* e *vid, cognoscere ;* aut *inventor,* e *vid, invenire.*

III. 1. 17. *agne mandró viçvāni kā́vyāni vidvā́n.*

« O ignis jucunde[1] ! omnes cantus cognoscens ! »

Ignis ceteroquin non gnarus solum sed *cupidissimus* quoque est; quæ vero præsertim cupit, sunt libamenta :

III. 6. 7. *apā́ḥ... agna uçā́dhag vā́nešu.*

« O ignis ! cupide aquarum (quæ sunt) in silvis. »

VI. 16. 12. *sá naḥ pṛthú... áchā deva vivāsasi bṛhád agne.*

« Nostram rem copiosam consequi cupis valentemque[2], o ignis fulgens, qui ades ! »

Necesse est istæ cupidines expleantur : testis hic versus :

V. 51. 8. *ā́ yāhy agne atrivát suté raṇa.*

« Veni, o ignis ! eo qui vorantem habet (et qui versatur) in isto quod fluit, fruere[3] ! »

IV. — Latius superiusque demum personarum inductio patere potest; tunc res inanimata vere forma

1. Epitheton *mandrá* est dubium, cum præsertim ad ignem accomodatur ; forte intelligendum est *visu jucundus ;* cum vero ad soma, facilius explanatur ; nam soma jucundum est igni quem gignit, alit corroboratque.

2. *Pṛthú..... bṛhát,* libamen duobus usitatissimis epithetis designat.

3. *Atrivát, is qui vorantem habet ;* is vorans ignis est qui libamenta rapit ; atqui soma illud est quod ignem gignit et in sinum recipit ; *atrivát* est igitur nomen translatum illius soma, quod sane versatur in oblatione quæ fluit, vel potius idem est hæc oblatio ipsa aliter denominata.

humana induitur et habens caput, brachia, manus, pedes ceterosque sensus, inducitur[1].

Sic enim *sagittæ*, velut *alis capitibusque acutis instructæ* depinguntur[2]: *parṇíno didyávas tigmámūrdhānaḥ* (VI. 46. 11).

In versu I. 128. 3, *ignis suis cernit oculis*[3], *cákšāṇaḥ... akšábhiḥ... ágniḥ.* Ignis quoque *aures habet ut audiat*[4], *çrudhi çrutkarṇa... agne* (I. 44. 13).

Nonnunquam verba altius etiam transferuntur; ita *fluctus quidam aurem auream et adamantinum torquem collo habet*[5], *hiraṇyakarṇam maṇigrīvam árṇaḥ* (I. 122. 14).

Quemadmodum ignis oculos auresque, ita habet *capillos* qui natura sunt flammæ:

III. 14. 1. *agníḥ çocíškeçaḥ.*

Interdum capilli sunt *aurei* præ flammarum colore:

II. 2. 13. *hárikeçam... agnim.*

1. Vide A. Hirzel, *Gleichnisse und Metaphern im Rig-Veda*, p. 39 sqq.

2. Agitur de flammis quæ ob formam atque agitationem cum *sagittis* remigio *alarum* instructis comparantur; — *capita* autem *acuta* sunt fastigia atque acumina flammarum.

3. Ignis est fulgens, et metaphorice illustratus; ideoque *cernit* et ad postremum *oculos* habet.

4. Ignis crepitat; vi attractiva atque amplificatione suos proprios crepitus *audit*, atque adeo *aures* habet; — aures quoque, quæ suarum crepitus flammarum audiant, habere potest.

5. Hoc in versu libamen vocatur *fluctus*; et quia igni et flammis circumfusis superatur, ille fluctus tanquam *aurem auream* habens (ignis qui crepitat. Cf. not. super.) *adamantinumque torquem* depingi potest (flammas libamen circumdantes).

Habet quoque *linguam* ut libamen lambat atque exsorbeat :

III. 57. 5. *yā́ te jihvā́ḥ... ágne.*
« Ea quæ tibi lingua (est), o ignis! »

— *brachia* (aliter ignis flammas) quæ *fricat* aut melius quæ *iterum et sæpius deterget, bāhū́... agne anumármṛjānaḥ* (X. 142. 5);

— *vocem clarissimam, agníḥ... citráçravastamaḥ* (I. 1. 5), quid significat ignem fulgere et crepitare.

Ad postremum ignis est *homo*, quin etiam *homo cœlestis*, *svárṇaram agním* (VI. 15. 4), nam suis in universis versatur flammis aut metaphorice in *cœlo*.

Itaque illi *domus* est, ut accipimus ex hoc loco :

I. 75. 5. *ágne yákši svám dámam.*
« O ignis, sacrifica tuam domum[1]! »

Quod metaphorice domus dicitur, aperte valet libamen in quo ignis versari habetur.

Ex translatione haud absimili est *domus dominus*, *agníḥ... viçpátiḥ* (I. 128. 7).

In versu I. 31, 11, legimus :

tvám agne...devā́ akṛṇvan náhušasya viçpátim.
« Te, o ignis! fulgentes fecerunt domus (tui) vicini dominum. »

Quare aliquis igni *vicinus* est : hic vicinus soma, cujus ceterum ipse est ignis *amicus* :

1. *Yaj*, *sacrificare*, id est, libamen incendendo augere, flammas gignere.

II. 4. 3. *agním devā́saḥ... priyáṃ*[1] *dhuḥ... mitrám.*

« Ignem fulgentes jucundum amicum constituerunt. »

Eadem ratione *socius hospes*ve ignis illius soma dici potest :

I. 31. 1. *tvám agne... abhavaḥ... sákhā.*

« Tu, o ignis ! socius eras. »

V. 3. 5. *agne... viçáḥ... átithir bhávāsi.*

« O ignis ! es domus hospes ! »

Ex his omnibus exemplis intelligimus quid necessitates civiliaque ignis utpote personæ officia dici possit ; alia de parte ignis familiariore aliarum rerum utpote pariter personarum commercio utitur : ita est de propinquitatis vinculis.

Ideo ignis dicitur *filius vis*[2],

Cf. IV. 11. 6. *sáhasaḥ sūno agne.*

« Vis fili, o ignis ! »

III. 11. 4. *agníṃ sūnúṃ sáhasaḥ... devā́ akṛṇvata.*

« Ignem filium vis fulgentes fecerunt. »

Haud absimili inductionis ratione nobis intelligere licet quid valeat verbum translatum *aquarum filius*, « appellatio, ut ait Bergaigne[3], Agni usita-

1. Qod de *mandrá* (vid. sup.) jam notavimus ad nomen adjectivum quoque *priyá* pertinet.

2. *Sáhas, vis, res valens*, eodem modo quo *bṛhát, vája*, etc., est appellatio translata libaminis utpote alentis ignem et corroborantis.

3. « L'appellation consacrée d'Agni, » Bergaigne, *La Religion védique*, II, 17.

tissima », quæ sane creberrima in Rig-Veda invenitur; quamobrem hæc pauciora tantum exempla proferam :

I. 143. 1. *agnáye vācó matíṃ sáhasaḥ sūnáve bhare*
apā́ṃ nápād yáḥ...
« Affero voces (et) sententiam[1] igni, vis filio, qui aquarum filius (est). »

III. 9. 1-2. *tvā vavṛmahe devám mártāsa ūtáye*
apā́ṃ nápātam......................................
. .....*agne*.....
« Nos mortui[2], te ad potionem[3] circumdedimus, te fulgentem aquarum filium, o ignis! »

Quid ignis « aquarum filius » esse dici potest? Quia de libamentorum aqua agitur; atqui ex istis libamentis oritur ignis, ergo per novam metaphoram est illorum filius.

§ 2. *Attributum tanquam persona inducitur*

I. — Perraro in Rig-Veda nomen appellativum rem quamdam designans solum occurrit; etenim plerumque, ne semper dicam, plus minus longo attributorum agmine quasi vallatur quæ illius explent significationem quam simul expressius definiunt.

1. *Voces et sententiam*, id est, soma-libamen præditum cogitatione quam crepitibus (vocibus) profert cum incenditur.
2. *Mortui*, *mártāsas* = libamenta inertia.
3. *Potionem*, *ūti*, alterum translatum libaminis nomen.

Ita legimus :

I. 31. 9. *tvám... agne... devó devéšv anavadya jágṛviḥ*
tanūkṛ́t... prámatiḥ... tváṃ kalyāṇa.
« Tu, o ignis! fulgens in fulgentibus, garrulus[1], vigil[2], ædificator rei patentis[3], tu cujus sententia præcedit, tu pulcher[4]! ».

I. 127. 1. *agníṃ hótāram manye dásvantam...*
sūnúṃ sáhaso jātávedasam.
« Voco ignem fusorem[5], donorum possessorem[6], vis filium, cujus fulgor manifesto apparuit ».

I. 128. 8. *agníṃ hótāram īḷate vásudhitim priyáṃ cétišṭham*
aratíṃ ny èrire havyavā́haṃ ny èrire
viçvā́yuṃ viçvávedasaṃ hótāraṃ yajatáṃ kavím
devā́so raṇvám ávase vasūyávo gīrbhī́ raṇváṃ vasūyávaḥ.
« Fulgentes vocant ignem fusorem, qui bona ædificat[7], jucundum, clarissimum;
eum moverunt, actuosum[8]; eum moverunt, libamen ferentem;

1. Id est crepitans.
2. Ignis expergiscitur nam agitatione suarum flammarum se actuosum manifestat.
3. Quod *patet* est libamen; ignis id facit quia sub specie flammarum idem auget.
4. *Kalyáṇa*, epitheton dubium velut *mandrá, priyá;* scilicet *visu pulchrum.*
5. *Fusor* libaminis quod ipse auget.
6. *Dona* metaphorica dicta, nempe libamenta quibus ignis potitur.
7. *Bona*-libamenta; cf. supra *dona*-libamenta.
8. Ignis se suarum flammarum agitatione *actuosum* manifestat (cf. supra, *jágṛvi*, *vigil*), et quoque quia libamenta incendit.

omnibus actuosum rebus[1], omnium rerum gnarum, fusorem, sacrificatorem, sapientem[2]; fulgentes bonorum cupidi (eum moverunt) lætum ad convivium[3]; bonorum cupidi (eum moverunt) lætum per cantus. »

Ejusdemmodi attributorum continuatione ac serie nomen soma, id est, liquor flammis opportunus, diligenter exprimitur :

IX. 11. 7. *amitrahā vicaršaṇiḥ pávasva soma çám... anukāmakṛ́t.*

« O soma, quod eum non amicum occidis (quod es) maxime actuosum, (quod es) res bona, quod rem jucundam instituis[4] : exardesce! »

II. — Sed ex ea epithetorum cum eodem nomine junctorum coacervatione consequitur ut illud nomen quasi submersum sit, partemque in verborum compositione magis magisque obscuram obtineat, et rursus attributa magis magisque sententiam absumant. Verumenimvero eadem attributa eo tunc pertinent ut a nomine quod primitus definiebant, se sejungant; student enim sua fieri, et sui commodi

1. *Omnia, viçva*, significat libamen quod omnibus dotibus congruentibus præditum ducitur.

2. Ignis est *kavi, sapiens*, quia clarescit et crepitibus sententiam suam manifestat (Amplificatio).

3. *Avas, convivium*, id est, soma quod datur igni quem facit lætum (crepitantem et agitatum).

4. Hic mihi res est cum continuatione epithetorum similium epithetis ignis nomen determinantibus; agitur enim de *sóma pávamāna :* occidit (arcet) eum qui amicus non est, scilicet fictum inimicum libamini augendo obstantem; hoc libamen vocatur *res jucunda* et *res bona ;* ceteroquin est soma ipsum, at non accensum.

causa munus, quo fungebatur nomen, eorum adminiculum, sibi parare.

Ita in his locis :

> VI. 59. 3. *indrā nv àgnī ávasehá vajriṇā vayáṃ devā́ havāmahe.*
>
> « Duo ardentes (qui sunt) duo ignes, fulminis possessores [1], eos nunc huc per convivium vocamus, (eos qui sunt) duo fulgentes. »

indrā nomen adjectivum est cum *agnī́* congruens, eodem modo quidem quo *vajriṇā* et *devā́*; at locus quem tenet et orationis motus adjectivo isto præcipuam primigeniamque nominis *agnī́*, jam in secundum locum relegati et mox oblitterandi, notionem absumi demonstrant. Equidem locus maneret idem ac nunc est, etiam si vox *agnī́* adimeretur :

> *indrā nv ávasehá vajriṇā vayáṃ devā́ havāmahe.*
>
> « Duo ardentes, fulminis possessores, eos nunc huc per convivium vocamus, (eos qui sunt) duo fulgentes. »

Item quoque in hoc loco :

> VI. 59. 4. *indrāgnī... vádataḥ... ná devā bhasáthaç caná.*
>
> « O ardens ! o ignis ! vos duo fulgentes, ne deleatis (?) eos qui loquuntur. »

numerus dualis, adjectivum *indrā* et nomen *agnī* idem valere easdemque partes agere, indicat; adjectivum igitur eo pertinet ut, partibus sumptis, a no-

1. *Fulminis possessores*, id est, flammarum quæ exeunt e *vája*, *potione corroborante.*

mine se sejungat; quæ si secus essent, adjectivum epitheti tantummodo vocis *agni* vices fungeretur et oratio numero singulari strueretur.

III. — Mox adjectiva, quo quidem natura inclinant, se e nominibus ad quæ adjiciuntur, secernere festinant : citissime discrimen fit et attributa simul et una epitheta tunc in oratione partes primitus ad nomen quod definiebant devolutas ipsa agunt. Unde hi loci expediuntur :

I. 186. 2. *á no víçva áskrā gamantu devá mitró*[1] *aryamá*[2] *váruṇaḥ*[3] *sajóšāḥ*[4].

« Ad nos veniant hi omnes fulgentes in unum coacti et qui una fruuntur : amicus, is qui rem actuosam possidet, is qui circumdat! »

Hoc in versu pars orationis subjectiva *devás* est, scilicet nomen olim adjectivum quod e nomine quocum jungebatur, partibus occupatis, se sejunxit; unde factum est ut *devás* pro nomine ipso ablato pars orationis subjectiva fuerit. Item de vocibus *mitrá, aryamán, váruṇa,* quæ sunt quoque adjectiva, sed in eo loco habentur nomina quorum ceterum partes agunt.

Quæ annotationes ad omnes locos eadem ratione structos, id est, ut semel plura complectar, ad majorem versuum Rig-Veda partem transferri possunt.

1. *Amicus libaminis* = ignis.
2. *Possessor soma actuosi* = ignis.
3. *Involucrum libaminis* = ignis.
4. Ignis, quacumque appellatione vocatur, libamine fruitur.

Cf. II. 36. 4. *á vakši deván ihá vipra yákši*
coçán hotar ní šadā yónišu trišú.

« Huc affer fulgentes, o agitate[1]! sacrifica ; et cupidissime, fusor, sede in tribus vulvis[2] ! »

Haud aliter orationis pars subjectiva est adjectivum *vípra*, e nomine quo fulcitur sejunctum et vocative dictum perinde ac si fuisset nomen ipsum; quippe *vípra* rursus propemodum fit nomen quod ideo duo adjectiva *uçán* et *hótar* comitantur et illi sensum certum et virtutem propriam addicunt. Vox autem *deván* pariter adjectivum usurpatur solum velut nomen et accusativo casu perinde ac fuisset nomen *agnín*, cujus locum obtinet.

Ex illis igitur investigatis liquet ut controversia esse nequeat quin ista adjectiva partes agant nominum quæ primitus determinarent, et ideo eorum locum obtineant. Ea ratio, quippe quæ e permultis et percrebris cum eodem nomine junctis attributis oriatur, facillime explanari potest; etenim nomen appellativum mediis ex epithetis comitantibus propemodum obsolescit, cujus persona evanescit atque abit ad epitheta, quæ tunc apprime designantur ut illi subeant, si non in oratione in qua ipsum occurrit, saltem in similibus locutionibus unoque et eodem modo structis.

Quod ceteroquin e causa latius altiusque patenti fit; etenim quivis sermo natura eo pertinet ut adjectivum in nomen mutetur. Hoc quidem usitatissimum apud omnes populos est quod grammatici *adjectivo nominis vim inesse* dicunt.

1. *Vípra, agitatus,* epitheton quod natura igni congruit.
2. Libamenta sunt ignis *vulvæ,* cum illum gignant.

IV. — At quid ex his conficitur? Quemadmodum vidimus in Rig-Veda nomina appellativa crebro personarum partes agere, ita, epithetis in nominis locum venientibus, adjectivum pariter pro nomine cui succedit, tanquam persona inducitur. Itaque ex eadem ratione constat epitheta juxta nomina ipsa tanquam personas induci. Ut ait noster Regnaud, « l'épithète d'un objet inanimé, désigné par un nom » commun, tient lieu de ce nom, et est accompagnée » d'attributs qui représentent l'objet en question » comme animé[1] ».

Ceterum hæc attributi uno et eodem modo atque ipsius rei inductio efficitur.

A. — Ita quippe mera adjectiva vocative usurpata nobis occurrunt.

III. 47. 3. *pāhi sómam... índra.*

« Bibe soma, o ardens[2]! »

I. 15. 12. *santya... yajñanī́r asi.*

« O manifestate[3]! tu es oblationis ductor. »

V. 50. 5. *ešá te deva netā ráthaspátiḥ çáṃ rayíḥ.*

« Tibi, o fulgens, ductor et domine currus[4], (sunt) hæc res bona (et) hæc pecunia. »

VI. 16. 32. *tváṃ táṃ jihváyā pári bādhasva duškṛ́tam.*

« Tu, o fulgens! per linguam (tuam) arce hanc rem male factam[5]! »

1. Regnaud, *Les premières formes de la religion*, p. 97.
2. *indra*, manifestum ignis epitheton.
3. Ignis manifestatus.
4. Agitur de *curru* metaphorico cujus libamen est *rota unica* (cf. I, 164, 2), id est, de universis flammis quæ libamen superant et movent.
5. *Res male facta* commenticia, quæ arcenda est ut locus sit *rei bene factæ*, id est, sacrificio, flammarum incremento.

3

B. — Adjectiva quædam adhibentur subjectivæ partes verborum quæ motum indicant, eoque valent ut illa res, quam significant, tanquam persona inducatur.

I. 13. 11. *áva sṛjā vanaspate déva devébhyo havíḥ.*
« O fulgens, ligni (aut silvarum) domine, fac ut oblatio fluat fulgentibus ! »

I. 35. 11. *rákšā ca no ádhi ca brūhi deva.*
« Nos cape[1], et sublime ad nos loquere, o fulgens ! »

I. 14. 12. *yukšvā́ hy árušī ráthe harito deva rohítaḥ tā́bhir devā́n ihā́ vaha.*
« Subjunge sane in (tuo) curru (tuas) rubras (equas) igneas[2], o fulgens ! per eas huc affer fulgentes ! »

C. — Attributorum quoque inductio per epitheta ad mores pertinentia fieri potest, ut in his locis :

I. 116. 17. *víçve devā́ ánv amanyanta hṛdbhíḥ.*
« Omnes fulgentes cogitaverunt[3] per corda[4] ! »

II. 36. 4. *ā́ vakši devā́n ihá vipra yákši coçā́n hotar ní šadā yónišu trišú.*
« Huc affer fulgentes, o agitate ! sacrifica ; et cupidissime, fusor, sede in tribus vulvis ! »

1. Id est, libamenta nostra cape.
2. Appellatio manifesta flammarum.
3. Expressius, sententiam suam ediderunt (metaphora) suis crepitibus.
4. *Cor*, *hṛ́d*, utpote in corpore situm, metaphorice indicat libamen, mediis in flammis positum circumdantibus.

III. 4. 10. *séd u hótā satyátaro yajāti yáthā devā́nām jánimāni véda.*

« Et hic fusor manifestior ita sacrificet ut fulgentium ortus noscat. »

D. — Res denique, adjectivo ficto inducta, in speciem humanam figurari potest :

I. 35. 8. *aštaú vy àkhyat kakúbhaḥ pṛthivyā́ḥ... hiraṇyākšáḥ... deváḥ...*

« Is fulgens qui aureum oculum habet, octonos vertices latæ (terræ)[1] aspiciebat. »

I. 35. 10. *híraṇyahasto ásuraḥ sunīthā́ḥ sumṛ-ḷīkā́ḥ svávān yātv arvā́n*

... ásthād deváḥ... gṛṇānā́ḥ.

« Veniat ille fulgens qui aureas manus habet, qui animans est, qui optime ducit[2], qui optime fricat[3], qui suum bonum habet, qui procedit ; qui cantans rectus stetit. »

I. 40. 5. *yásminn índro váruṇo mitró aryamā́ devā́ ókāṅsi cakrire.*

« In hac re[4], fulgentes : ille qui ardet, involvit, amat, isque qui rem actuosam possidet, sibi sedes fecerunt. »

II. 40. 1. *jātaú ... gopaú devā́.*

« Illi nati sunt, duo fulgentes (qui sunt) pastores[5]. »

1. *Pṛthiví, lata*, libaminis epitheton, quod nomen significat *terram-libamen* (Comparatio).
2. Qui optime ducit libaminis currum, aut aperte, libamen ipsum quod ad secundum incrementum adducit.
3. Aut clarius qui fulgens fricando fit.
4. Scilicet in libamine quod quasi ostensum habetur.
5. Ad verbum : potores (lactis) e vacca-libamine venientis.

§ 3. *Abstractiones, id est, incorporales res et commenticiae tanquam personæ inducuntur*

Ceterum illa verbalis inductionis ratio ad voces abstractas nulli rei corporali respondentes transferri potest. Tunc, ut ait Regnaud, « l'objet imaginaire » d'un mot... est représenté métaphoriquement » comme animé et réel[1] ».

Et suam hoc sequenti exemplo definitionem affirmat :

> I. 29. 4. *sasántu tyā́ árātayo bódhantu... rātáyaḥ.*
> « Obdormiscant donorum inopiæ; expergiscantur dona ! »

Nam vox *árātayas*, antitheton vocis *rātáyas*, indicat *donorum inopias*, ad verbum *non-dona;* est igitur nomen mere abstractum quod, cum negativum sit, ad nullam rem corporalem respondet. Quidquid id est, personæ inductio eodem modo ad illam vocem quo ad *rātáyas* locutionem, aliquid corporale affirmativumque, scilicet dona-libamenta significantem, transfertur. Itaque, ut *rātáyas* adhibetur pars subjectiva verbi *bódhantu*, ita *árātayas* fit pars subjectiva verbi *sasántu.*

Hic locus eadem interpretatione illustratur :

> II. 38. 9. *ná yásyéndro váruṇo ná mitró vratám aryamā́ ná minánti rudráḥ nā́rātayaḥ...*
> « Neque ardens, neque is qui involvit, neque

1. Regnaud, *Les premières formes de la religion*, p. 99.

amicus, neque is qui rem actuosam possidet, nec splendens, nec donorum inopiæ minuunt rem egregiam[1] illius qui... »

Quo in versu vox *árātayas* eadem ratione, qua ignis epithetea *índra*, *váruṇa*, *mitrá*, *aryamán*, *rudrá*, pars subjectiva verbi *minánti* adhibetur. Inductio enim horum epithetorum ad nomen abstractum *árātayas* extenditur.

Hunc versum jam inspiciamus :

II. 29. 2. *yūyáṃ devāḥ... yūyáṃ dvéšāṅsi sanutár yuyota.*

« O vos fulgentes ! o vos ! longissime arcete inimicos ! »

Nomen *dvéšāṅsi* notionem speciemque inimicorum corporalium in animo habentium certo fini obstare, evocat. Atqui non ita se res habet; nam inimici de quibus agitur, vim agendi tantummodo intra se retinent : sunt enim impedimenta commenticia quæ quasi sacrificio augendo repugnantia habentur et quæ, ut sacrificium fiat, prius arcenda sunt. Ita in hoc versu est igitur inductio rerum omnino commenticiarum, ut in prioribus exemplis. Alii denique hujusmodi loci haud absimili interpretatione egent. In primis notandus est :

III. 29. 9. *ayám agníḥ pṛtanāšā́ṭ suvī́ro yéna devā́so ásahanta dásyūn.*

« Ecce ignis, in præliis victor, maribus[2] bene instructus, per quem fulgentes vicerunt eos qui ligant. »

1. *Res egregia* est soma quod ante omnia igni jucundum est, cum hunc alat et corroboret.

2. Ignis libamentis, cum *maribus* collatis, quando flammas gignunt, potitur.

Prœlia, aut potius, *ii qui pugnandi sunt*, et *ii qui ligant* de quibus in hoc versu agitur, sunt inimici, impedimenta commenticia quæ sacrificio augendo quasi repugnantia habentur, quos inimicos præ ceteris ignis, prælio commisso, vincere debet ut deinde libere erumpere sibi liceat.

I. 129. 11. *pāhí na indra suṣ́ṭuta sridhò vayātá*
sádam íd durmatīnā́ṃ devā́ḥ sán durmatī-
nā́m
hantā́ pāpásyá rakšásaḥ...

« Potire nostris inimicis, o ardens optime celebrate[1], tu qui profecto, fulgens, avertis pravarum sententiarum sedem ; qui occidis id quod pravum est et retinet. »

Quo in loco commenticia sacrificii augendi impedimenta vocantur :

1° *sridhás*, inimici;

2° *durmátayas,* ii qui prave, aut minime crepitant;

3° *pāpá,* res prava;

4° *rakšás,* id quod retinet (*rakš*) libamen et impedit quin erumpat.

Quibus ex omnibus commenticiis impedimentis se exsolvere ignis debet; quare incitatur ut illa occupet atque occidat.

Illi sane inimici illaque impedimenta non sunt : sola enim verbalis inductio illos, tanquam si vivi corporalesque sint, exhibet.

1. Ignis optime celebratur libamentis incensis et crepitantibus.

CAPUT TERTIUM

DE COMPARATIONIBUS

Pleræque figuræ in Rig-Veda occurrentes e comparatione oriuntur. Hæc oriationis ratio usitatissima est quia simplicissima; quæ enim ad cujusdam verbi significationem, altero vocabulo cum altera collato voce optime clara et vehementiorem animis sensum præbente, finiendam atque illustrandam adhibetur. Qua arte vim certam fulgentis ignis qui in foco urit, si dicemus ignem seu velut lunam fulgere seu velut solem, diserte notabimus.

Multifariæ sunt in Rig-Veda comparationes.

1º Nunc vocabulum collatum conjunctiva particula cum vocabulo ad comparationem utili connectitur; quæ particulæ sunt *ná, iva* aut *yáthā*. In his sitæ sunt explicitæ comparationes.

2º Quæ parant alias in quibus vocabulum collatum evanuit et in cujus locum vocabulum ad comparationem utile accessit; alterum alteri subditum est; unde illa sive suffectionum[1] sive implicitarum comparationum nomina quibus hujuscemodi figuræ vocari queunt.

3º Hæ autem quam plurimum inter se discrepant;

1. Vide Regnaud, *Comment naissent les mythes*, p. 246.

at in medio alia figura occurrit cujus proprium est duas quoque partes exprimi propinquasque inter se esse nec jam conjunctiva particula connecti. Ex quo facillime intelligi potest comparationem explicitam in implicitam transire.

4° Occurrunt denique comparationes in quibus pars jam ad priorem collationem adhibita confertur ipsa cum altera; quas quidem, post Bergaigne[1], geminas comparationes vocabimus.

Ex ordine igitur :

1° Disseremus de explicitis comparationibus;

2° Inquiremus deinde quomodo explicitæ comparationes in implicitas transeant;

3° Disputabimus denique de implicitis comparationibus, et

4° Tum postremum de comparationibus geminis.

§ 1. *De explicitis comparationibus*

In istis comparationibus nomen rei collatæ cum nomine rei ad comparationem utilis una e conjunctivis particulis *ná, iva* aut *yáthā = ut, velut, quasi,* etc., conjungitur.

II. 4. 1. *huvé... agním... mitrá iva yáḥ.*
« Voco ignem qui (est) velut amicus. »

Hæ comparationes multis sub speciebus occurrunt :

1. Bergaigne, *Quelques Observations sur les figures de rhétorique dans le Rig-Véda*, p. 100.

I. — Pars quæ comparationi prodest cujusdam animantis nomen est[1].

Unde dici potest *duas res fulgentes* (scilicet libamenta incensa utpote marem et feminam) *quasi homines* esse, quippe quæ flammas gignant :

VII. 28. 3. *índraḥ... sám... nṝ́n ná ródasī ninétha.*

« Ardens ille simul duxit duas res fulgentes quasi homines. »

Ob eamdem causam, hæ *duæ res fulgentes* cum *mulieribus*, imo etiam cum *mulieribus currentibus* conferri possunt : libamenta enim suas aquas sub excitatarum flammarum specie emittunt :

X. 93. 1. *nā́rī yahvī́ ná ródasī.*

Soma pavamāna est velut *infans modo natus* e soma obscuro ; quin etiam ardescendo crepitat ; unde hæc figura :

IX. 74. 1. *çíçur ná jātó 'va cakradad váne.*

« Velut infans (cum est) natus, mugiit in silva. »

De eodem soma pavamāna dici potest illud quoque *saltare velut infantem*, si flammarum motus consideretur :

IX. 110. 10. *sómaḥ... çíçur ná krī́ḷan pávamānaḥ.*

« Soma incensum saltans velut infans. »

Alio in loco comparatur *juveni cuidam splendido*, ob flammas fulgentes quæ illius *filiæ* sunt :

1. De his omnibus comparationibus, vide A. Hirzel, *Gleichnisse und Metaphern im Rig-Veda*, p. 59-79.

IX. 14. 5. *naptī́bhiḥ... çubhró ná māmṛjé yúvā.*
« Per (suas) filias, (soma) se effecit fulgentem ut splendidum juvenem. »

Ignis rursus, quasi *socius* et quasi *pater* advocatur :

III. 18. 1. *bhávā no agne... sákheva. . pitáreva.*
« Sis nobis, o ignis, quasi socius, quasi duo patres! »

Ignis enim socius est illius soma per quod flammas ipse gignit : harum igitur *pater* dici potest (cf. I. 69. 2, *bhúvo devā́nām pitā́*); ceterum idem pater est soma-libaminis ipsius quod inflammando ostendit.

Hæc autem ignis collatio cum patre satis crebra est :

VI. 52. 6. *agníḥ... pitéva.*
« Ignis (qui est) velut pater. »

I. 1. 9. *sá naḥ pitéva... agne... bhava.*
« O ignis, qui ades, sis nobis quasi pater! »

Interdum non jam cum patre at cum *filio* ignis comparatur; nonne est quippe filius libaminis ex quo ipse nascitur?

I. 69. 5. *putró ná jātáḥ... agníḥ.*
« Ignis, natus, tanquam filius (est). »

Facile esset permultas hujusmodi comparationes colligere, quarum nonnullas tantummodo, varietatem monstraturus, proferam :

VI. 13. 2. *tvám... párijmeva kšayasi... ágne.*
« Tu, ut viator, sedem habes[1], o ignis! »

II. 4. 1. *huvé... agním... mitrá iva yáḥ.*
« Voco ignem qui (est) velut amicus. »

VII. 7. 1. *prá... agním áçvaṃ ná... hiše.*
« Ignem, velut equum, movi[2]. »

IV. 35. 8. *yé devā́so ábhavatā sukṛtyā́ çyenā́ ivéd ádhi diví nišedá.*
« (Vos) qui fulgentes eratis, affabre facti, tanquam aquilæ[3] profecto in sublimi cœlo[4] assedistis. »

I. 138. 2. *hí.. pūšan.. mṛ́dha úšṭro ná pīparaḥ.*
« Sane, o nutritor, velut taurus medios per inimicos iisti[5]. »

II. — Non solum illa animantium, sed etiam inanimatarum rerum, nomina comparationi prosunt. Quod quidem ex sequentibus locis apparet:

VIII. 82. 8. *yó apsú candrámā iva sómaḥ.*
« Soma quod (est) ut luna in aquis. »

1. Ignis *sedes* est libamen ex quo nascitur; cum enim id suis agitatis flammis involvat, eum discurrere et circa id vagari dici potest. — Vide Regnaud, in *Revue de Linguistique et de Philologie comparée*, XXXI, 344.
2. *Equus* metaphorico libaminis currui junctus.
3. Flammæ *aquilis* et generatim *avibus* comparantur, quia primum agitantur et deinde, quasi aves in nido, flammæ in libamine resident.
4. *Cœlum* lucidum in universis flammis constans.
5. Agitur de soma pavamāna; utpote soma, nutrit ignem; utpote incensum et crepitans *tauro* mugienti comparatur.

II. 11. 20. *ávartayat sū́ryo ná cakrám... índraḥ.*
« Ardens (qui est) velut sol, volvit rotam[1]. »

VI. 4. 6. *ā́ sū́ryo ná... ágne tatántha ródasī ví.*
« O ignis (qui es) velut sol, extendisti duas res fulgentes. »

I. 3. 8. *víçve devā́saḥ... sutám ā́ ganta... usrā́ iva...*
« Omnes fulgentes ad id quod infusum est[2] veniunt, tanquam rubræ (auroræ). »

Hæ omnes comparationes ductæ sunt ab astris et natura explicantur, cum ad ignem aut ad soma pavamāna, quod nihil aliud est nisi ignis, pertineant. Sunt autem aliæ minus manifestæ et quæsitiores. Ita ignis *currui* comparatur, nam flammæ moventur et excitantur libamine quod hoc modo fit *rota*, imo etiam *rota unica* (I. 164. 2.) currus de quo agitur.

I. 58. 3. *rátho ná vikšv ṛ́ñjasānáḥ... deváḥ...*
« Fulgens qui, velut currus, processit in sedes... »

Hoc in alio loco flammæ fulgentes comparantur cum *sagittis*, quia, tanquam sagittæ, sunt acutæ et secantes :

I. 184. 3. *išukṛ́teva devā́.*
« Ecce, secantes sagittarum ritu, duo fulgentes. »

At, mehercule, ista mirabilior dici potest comparatio libaminis cum *portis :*

1. Libamen est metaphorica rota currus æque metaphorici in universis flammis constantis; ignis hanc volvit rotam, id est, dilatat.

2. Libamen quod suas aquas ad ignem nutriendum fluere patitur.

II. 2. 7. *agne... duró ná vā́jam... ápā vṛdhi.*
« O ignis! aperi potum corroborantem, velut portas. »

Quæ tamen sub intelligentiam cadit : libamentum enim, quoad non manifestatum est, tanquam inclusum atque in involucro retentum considerari potest; at involucrum dehiscere debet ut flammis patentem exitum det : varii ergo exitus per quos illæ exeunt pro portis habentur.

III. — Comparatio denique neque ad animantes neque ad res inanimatas, sed ad mera epitheta, ad attributa quæ omnia tunc nominum loco accipiuntur, spectare potest.

Sic quidem hic locus interpretandus est :

I. 36. 13. *tíṣṭhā devó ná savitā́.*
« Sta, o tu qui liquorem elicis[1], (qui es) ut fulgens! »

in quo vocabulum quod comparationi prodest, *devá* adjectivum est; revera, ut jam vidimus, *devá* locutionis plenioris *agnír deváḥ* locum tenet. Nunc igitur comparatio cum epitheto recidit ad comparationem cum re inanimata.

Ita res se habebit in hoc versu :

VI. 15. 4. *agníṃ hótāram... vípraṃ ná... ṛñjase.*
« Ignem fusorem, velut agitatum, promovisti. »

in quo comparatio *vípram ná* manifeste ad *agním* congruit.

1. Ignis est *savitṛ́* quod libamen inflammando emittit.

Ad postremum, hunc versum allaturus sum :

I. 138. 2. *prá hi tvā pūšann ajirám ná... kṛṇvá.*
« Profecto, te produco, o nutritor, tanquam (rem) rapidam[1]. »

Nonnunquam, cum comparatio stat in attributo, nomen cujusdam animantis esse subauditum putare licet : tunc ergo de comparatione cum animali agitur.

Scilicet :

I. 39. 5. *pró ārata maruto durmádā iva.*
« Processistis, o vehementes, velut (homines) male lauti[2]. »

Et quoque :

II. 4. 3. *agníṃ devâsaḥ... vikšú... dhuḥ kšešyánto ná.*

« Fulgentes, ut (homines) qui ibi sedem ponent, ignem in sedibus constituerunt. »

Ut denique summam breviter contrahamus, e prolatis documentis liquet comparationes, in quibus pars comparationi utilis merum est adjectivum, reduci ad quas supra inspeximus. Attamen operæ pretium erat illas, propter propriam formam qua sunt præditæ, indicare et in peculiarem speciem reponere.

1. Soma quod ignem alit, est tanquam *res rapida*, cum ejus aquæ fluant, exardescant, trepidentque.

2. Flammæ fulgentes et agitatæ sunt *male lautæ* cum non totum libamen absorbuerunt; imo contra *optime lautæ* sunt, cum libamen incenditur totum.

§ 2. *Quomodo explicitæ comparationes in implicitas transeant*

Illæ omnes explicitæ comparationes, conjunctivarum particularum *ná, iva* aut *yáthā* auxilio structæ, quas modo perspeximus, nihil aliud sunt in Rig-Veda nisi primigenia forma comparationum magis syntheticarum, id est, comparationum implicitarum e quibus conjunctivæ particulæ tolluntur. Nempe, ut eruditissimi Regnaud verba usurpem, explicitæ comparationes sunt « des substitutions préparées[1]. »

Ita explicita comparatio superius indicata :

VIII. 82. 8. *yó apsú candrámā iva sómaḥ.*
« Soma quod (est) ut luna in aquis, »

fiet, sub synthesis forma, implicita comparatio :

I. 105. 1. *candrámā apsú.*
« Luna in aquis. »

Prior enim forma, simul ac parat, posteriorem explanat : altera igitur in alteram transit.

Ceterum multis in locis media est forma qua ostenditur et aperitur quomodo explicita comparatio facta sit implicita. Quod præclare ex his tribus versibus collatis apparebit :

1° VI. 4. 6. *ā́ sū́ryo ná... ágne tatántha ródasī ví.*
« O ignis! (qui es) velut sol, extendisti duas res fulgentes. »

1. Regnaud, *Comment naissent les mythes*, p. 245.

2° IV. 13. 1. *práty agnir uṣ́ásām ágram akhyat...*
...út sū́ryo jyótiṣā devá eti.
« Ignis aurorarum acumen aspiciebat;
Sol fulgens per suam lucem assurgit. »

3° VII. 61. 1. *úd... eti sū́ryas tatanvā́n.*
« Sol surgit se extendens. »

In primo versu nobis explicita comparatio occurrit : *sū́ryo ná... ágne.*

In tertio contra est implicita comparatio quæ prima explanatur, at in qua pars collata *agní* evanuit, cujus in locum pars *sū́rya* ad quam conferebatur, successit.

Asserimus sane hunc tertium versum idem valere ac primum, et ab hoc eodem explanari.

Quod quidem ex secundo versu inspecto *agníḥ... sū́ryaḥ* apparet, in quo vocabulum collatum *agní* et vocabulum *sū́rya* cui confertur, adhuc ambo adsunt et etiam proxima; conjunctiva autem particula, *ná*, quæ in primo loco comparationi profuerat, evanuit; ignis tamen cum sole comparatio in intimis rebus subest.

Hæc via igitur manifesto apparet :

1° Explicita comparatio, *sū́ryo ná... ágne;*

2° Deinde comparatio semiexplicita, *agníḥ... sū́ryaḥ ;*

3° Denique implicita comparatio, *sū́ryaḥ.*

Jam nunc ex argumentis supra disputatis ponere possumus in Rig-Veda comparatione explicita implicitam quamlibet comparationem parari atque explanari ; quomodo altera in alteram transeat eo manifestius apparet quod ambæ partes collatæ

adhuc propinquæ sunt, sed non jam conjunctiva particula connexæ.

Ut illam sententiam confirmem, hæc proferam exempla in quibus vocabula peculiariter indicata per vicinitatem comparationem explicitam prius factam ostendunt :

IV. 14. 2. *ūrdhvám ketúm savitá* devó *açret...*
ví súryo *raçmíbhiç cékitānaḥ.*

« Ille fulgens qui liquorem elicit, signum assecutus est lucens[1] (quod est) erectum ; sol suos per radios splendens (est). »

VII. 104. 18. *ví tiṣṭhadhvam* maruto *vikṣu...* váyo *yé bhūtví patáyanti naktábhiḥ.*

« Vos erigite in sedibus, o vehementes ! (vos) qui facti aves (qui) volitant per noctes[2]. »

II. 29. 4. *hayé* devā *yūyám id* āpáya *stha.*

« O vos fulgentes ! plane estis amici. »

II. 27. 4. *dhāráyanta* ādityásaḥ... devá *víçvasya bhúvanasya gopáh.*

« Filii illius exsolutæ[3] fulgentes, pastores omnium quæ se manifestant, ferunt... »

1. Metaphora quæ ignem accendi et fulgere significat.

2. *nákta, nox*, collatio per metaphoram significantissima ad libamen non accensum designandum ; ita libamen ad noctem confertur propter obscuritatem quæ utrique communis est.

3. *Filii illius exsolutæ* sunt flammæ quæ e libamine libere crescente nec jam ullam metaphoricam copulam servante oriuntur.

§ 3. *De implicitis comparationibus*

Auxilio mediæ comparationum speciei quam proxime exposuimus, implicitæ comparationes ex explicitis manant; at dum hæ distincte expressas duas partes inter se collatas præbent, implicitæ contra comparationes unam tantum partem præstant, scilicet partem quæ comparationi profuit, et nunc per synthesin complectitur totam priorem comparationem, cum altera pars subaudiatur.

Sic in figura :

I. 105. 1. *candrámā apsú,*

vocabulum *candrámā* pro priore explicita comparatione est :

VIII. 82. 8. *yó apsú candrámā iva sómaḥ.*

Nam evanuit nomen *sóma* quod cum luna comparabatur, et solum lunæ nomen in ultima et definitiva forma *candrámā apsú* permansit, quippe prior pars, cui successit posterior, elisa fuit.

Quam ob causam ratio, quæ in nomine rei collatæ ita subaudiendo constat, ut in hujus locum nomen rei comparationi utilis reponatur, indifferenter aut *implicita comparatio* aut *suffectio* dici potest.

Cum implicita quælibet comparatio ex explicita oriatur, æquilatatio duas inter rationes esse debet et utrinque eædem categoriæ sunt agnoscendæ; quod quidem fit.

I. — In prima exemplorum serie animantes comparantur; unde nobis occurrit :

I. 73. 4. *táṃ tvā nára dáma ā́ nítyam iddhám ágne sácanta.*
« Te accensum, o ignis! homines in tuam sedem assidue comitantur. »

In quo versu vocabulum *náras* nomine libaminis subiit, quandoquidem libamenta illa cum *hominibus* comparantur, quia ignem gignunt et ferunt.

I. 164. 17. *vatsám bíbhratī gaúr úd asthāt.*
« Vitulum (suum) ferens, vacca stetit. »

De libamine agitur collato ad *vaccam* propter lac (libaminis liquorem) quod hæc præstat. Vacca, id est, libamen se erigit cum accenditur, et tunc suam gerit prolem, suum *vitulum,* ignem. Vocabula igitur collata *gó* et *vatsá* vocabulis propriis *ṛtá* et *agní*, verbi gratia, subeunt.

Haud absimili ratione hi ejusdemmodi loci interpretandi sunt :

1. 161. 7. *saúdhanvanā áçvād áçvam atakšata yuktvā́ rátham upa devā́n ayātana.*
« O periti sagittarii, ex equo equum confecistis; cum junxeritis currum, ad fulgentes venitote! »

Illi *periti sagittarii* sunt hæc libamenta incensa (soma pavamāna) quæ libaminis inertis, cujus flammæ sunt sagittæ, arcum tendunt; exstruxerunt quoque ignem implicite comparatum cum *equo*

metaphoricum libaminis *currum* trahente. Ceteroquin equus, id est, ignis oritur ex *equo,* hoc est, e soma quod eum gignit et quod accensum omnino ei simile est. Metaphora igitur ex substitutione vocabulorum *saúdhanvanāḥ, áçvaḥ* et *ráthaḥ* nominibus ignis et soma, efficitur.

I. 89. 10. *áditir dyaúr áditir antárikšam*
áditir mātā́ sá pitā́ sá putráḥ.
« Illa exsoluta (est) dies ;
illa exsoluta (est) aer circumfusus et lucidus ;
illa exsoluta (est) mater, pater, filius. »

áditi est libaminis epitheton ; est enim libamen auctum incensumque, cujus fulgor *diei* conferri potest ; libamen rursus incensum *aer* est *circumfusus et lucidus* sacrificii ; idem denique libamen, utpote obscurum, est *mater* et, ex analogia, *pater* flammarum quæ ex illo nascuntur ; et, utpote incensum, ignis est, scilicet ipsius *filius.*

III. 7. 7. *prā́ñco madanty ukšáṇaḥ.*
« Tauri, proceri, lavantur. »

Quo in versu libamenta accensa implicite *tauris* conferuntur quod mugiunt, id est, crepitant ; lavantur quoque in aquis libaminis quó vescuntur.

Aperte quidem ratio ea est quæ diversas et multiformes species præstare queat. Reipsa præter implicitas comparationes in quibus ignis vel libamen cum equis, tauris, vaccis, vitulis, patribus, matribus filiisque componuntur, permultæ aliæ haud absimili ratione interpretandæ inveniuntur.

Ita flammæ libamentorum *filiæ* et *soboles* dici poterunt :

I. 147. 1. *ubhé yát toké tánaye dádhânāḥ... raṇáyanta devā́ḥ.*

« Postquam constituerunt duos pueros, duas progenies, tum fulgentes gaudent[1]. »

Illæ quoque ad *equites* equis cum libamine junctis insidentes conferentur :

VII. 74. 4. *makšūyúbhiḥ... háyebhir açvinā́ devā yātam.*

« Per rapidos equos, venite, vos ambo equites fulgentes ! »

Libamenta rursus ignis, qui revera ipsas comitatur, *uxores* dicentur :

I. 22. 9. *ágne pátnīr ihā́ vaha devā́nām.*

« O ignis ! huc fulgentium uxores affer ! »

II. — Rerum inanimatarum nomina haud aliter atque animantium propriis nominibus sacrificii elementa designantibus subire, et ideo aliam implicitarum comparationum categoriam efficere possunt. Hæ profecto plurimæ sunt et adeo maxime variæ, ut, si cunctas proferre velimus, nobis corpus fere totum Rig-Veda proferendum sit; itaque quamque insignissimam indicare nobis satis erit.

Solis nomen, ut jam vidimus, metaphorice in usu creberrimo est seu ad ignem, seu ad soma incensum, quod in æquo est, significandum.

Ita legimus :

1. Flammæ enim simul obscurum libamen ac fulgentem flammam instituunt et augent; unde fit ut duales formæ adhibeantur.

VII. 61. 1. *úd... suprátīkam... eti sū́ryas tatanvā́n.*
« Sol, se extendens, assurgit ad rem maxime objacentem[1]! »

I. 124. 1. *udyán sū́rya urviyā́ jyótir açret.*
« Sol qui oritur, lumen per rem latam assecutus est. »

Idem versus iniens similem præbet comparationem in qua ignis cum *aurora* comparatur :

I. 124. 1. *ušā́ uchántī samidhāné agnā́.*
« Aurora fulgens in igni accenso. »

Ceterum ignis fere tam crebro cum aurora quam cum sole confertur :

I. 157. 1. *vy ùšā́ç candrā́ mahy ávo arcíšā.*
« Aurora splendida per suam flammam duas res magnas delectavit[2]. »

Ignis quoque *diei,* cum uterque luceat, implicite conferri potest :

I. 89. 10. *áditir dyaúḥ.*
« Illa exsoluta (est) dies. »

V. 86. 5. *tā́ vṛdhántāv ánu dyū́n.*
« Ecce duo fulgentes qui dierum continuatione creverunt. »

1. Aut etiam et forte melius : « Sol assurgit, extendens rem maxime objacentem ; » illa res quæ optime objacet igni sacrificii ad solem collato, est libamen quod ignis evolvit et extendit.

2. Quod significat sacrificii ignem auroræ collatum auxisse, propterea demum quod incendit, libamen masculine simul et feminine habitum.

Per oppositionem, *nox* metaphorice libamen iners propter obscuritatem quæ utrique est communis[1], designat.

VII. 104. 18. *marutaḥ... váyo yé bhūtvī patáyanti naktábhiḥ.*
« O vehementes ! qui facti aves (qui) volitant per noctes. »

Nonnullæ ex implicitis comparationibus maxime perspicuæ sunt, cum, verbi gratia, libamen *aquis, fluminibus* aut denique *rivis* comparatur :

V. 2. 11. *svàrvatīr apá enā jayema.*
« Per hoc[2], utinam aquis cœlo[3] munitis potiamur ! »

II. 30. 1. *ṛtám devāya kṛṇvaté savitrá indrāyāhighné ná ramanta āpaḥ.*
« Fulgenti qui instruit et elicit libamen, ardenti qui serpentem[4] occidit, aquæ fluere non desistunt. »

I. 105. 12. *ṛtám aršanti sindhavaḥ satyám.*
« Flumina libamen manifestatum fundunt. »

1. Cf. IX. 108. 12. *ámartyaḥ pratápañ jyótiṣā támaḥ.*
« (Ignis) non mortuus rem illustrans obscuram luminis auxilio. »

2. Res quam sacrificator articulari pronomine *hoc* significat, libamen est.

3. *Aquæ cœlo munitæ* sunt libamenta flammis superata.

4. *Serpens, áhi*, est unum e nominibus commenticii impedimenti quod libamini augendo obstat; illum prius ignis ardens repellere et occidere debet; quod quidem assequitur auxilio flammæ quæ sic ipsi fit telum, fulmen, *vájra*.

III. 33. 6. *indraḥ... ápāhan vṛtrám paridhiṃ nadīnām.*

« Ardens repulit involventem, rivorum involucrum[1]. »

Ex eadem ratione videmus libamen cum *fluctu* aut cum *mari* pariter comparari :

I. 122. 14. *árṇas tán no viçve varivasyantu devā́ḥ.*

« Omnes fulgentes liberent nostrum fluctum qui adest ! »

IX. 107. 23. *tvám samudrám prathamó ví dhārayo devébhyaḥ soma.*

« Tu, o soma ! quod procedis, sustines mare quod fulgentibus extendis. »

Permultæ istiusmodi comparationes majorem etiam affectationem præbent, cum, verbi gratia, flammæ ad *telam* conferuntur :

IV. 13. 4. *viháran yāsi tántum... deva.*

« Procedis extendens (tuam) telam, o fulgens ! »

Per metaphoram agitur de tela quam flammæ texere ducuntur, quamque universæ constituunt.

Eædem flammæ *viis perviis*, aut melius *viis optime patentibus* componuntur, nam *via* significat *cursum flammarum agitatarum* :

I. 35. 11. *tébhir no adyá pathíbhiḥ sugébhī rákṣā... deva.*

« Per istas vias optime patentes, hodie nos cape, o fulgens ! »

1. *Is qui involvit*, rivorum *involucrum* sunt quoque commenticium libamentorum impedimentum; *vṛtrá* ergo idem atque *áhi* valet.

Persæpe autem *currus* in locum flammarum succedit; quæ figura jam nobis non est ignota; etenim agitatæ flammæ quasi junctæ sunt libamini (*rotæ currus*) quod movent. Infra sunt hujus figuræ nonnulla exempla :

I. 13. 4. *ágne sukhátame ráthe devā̊n... ā́ vaha.*
« O ignis ! affer fulgentes in curru pulchris rotis. »

I. 50. 8. *saptá tvā harito ráthe váhanti deva sūrya.*
« Septem rubentes[1] te ferunt in curru, o clare sol ! »

I. 123. 1. *pṛthū́ rátho dákšiṇāyā ayoji.*
« Latus libaminis currus junctus est. »

Soma sæpe confertur *herbis plantisve*, quæ enim corroborant, emittunt quoque liquorem libamini implicite comparatum, atque etiam vires et robur igni suppeditant :

VIII. 35, 24. *tṛmpataṃ sutásya devāv ándhasaḥ*[2].
« Fruimini eo quod conflatur, herba, vos ambo fulgentes ! »

VII. 70. 4. *caništáṃ devā óšadhīšv apsú.*
« Gaudete, o vos ambo fulgentes ! in plantis, in aquis ! »

Quomodo autem idem soma cum *petris* comparatum explanari potest ?

1. Flammae uno inter epitheta designantur.
2. Vox *ándhas* ambigua est.

IX. 80. 4. *soma... grā́vabhiḥ sutó viçvān devā́n ā́ pavasvā.*
« O soma! per petras conflatum, incende omnes fulgentes! »

Per metaphoram agitur de petris quæ libaminis liquorem recondere existimantur quem fractæ emittunt.

Alio in versu, cum soma ad *poculum* comparatur, nomen rei quæ continet nomini rei quæ continetur subit, nam poculi nomen in locum libaminis nominis succedit:

I. 20. 6. *utá tyáṃ camasáṃ návam... ákarta.*
« Et hoc poculum novum fecistis[1]! »

Eodem modo quo soma ad poculum confertur, et haud absimili ratione, idem soma cum *stabulis* quoque comparatur: imaginaria enim stabula sunt quæ vaccas, scilicet libamenta, tegunt:

III. 60. 6. *imā́ni túbhyaṃ svásarāṇi yemire.*
« Ista stabula tibi extenderunt. »

Haud aliter etiam et manifestius libamen ignis *sedes* dicitur, in qua ignis habitat et ex eadem exit:

III. 20. 4. *agnir netā́... kšitīnā́m daívīnām.*
« Ignis dux sedium cœlestium. »

Aut libamen est ignis *constitutio*, quod significat ignem in libamine et per hoc se constituere ac manifestare:

1. Id est, hoc ædificavistis, statuistis, extendistis ostendistisque.

X. 93. 6. *utá no deváv açvínā... dhámabhiḥ.... urušyatām.*
« Et nostri duo fulgentes equites per sedes se extendant ! »

Libamen denique nova comparatione implicita *thesauri* fiet et *divitiæ*, quos ignis cupit quibusque potitur :

VIII. 75. 2. *víçvā vāryā kṛdhi.*
« Profer omnes thesauros ! »

I. 127. 11. *á bharágne devébhiḥ... mahó rāyáḥ.*
« Per fulgentes affer, o ignis ! ingentes divitias. »

III. — Epitheta demum vim nominis habentia novam implicitarum comparationum seriem efficiunt.

Utputa hic locus inspiciendus est :

II. 38. 4. *púnaḥ sám avyad vítataṃ váyantī.*
« Rursus ea quæ texit induit quod extensum (fuit). »

Cujus enuntiationis pars subjectiva est *váyantī*, participium præsens verbi activi *vā* = *texere*, scilicet epitheton *ea quæ texit* = *texens*. Flamma enim ad personam texentem confertur et vocabulum quo hæc persona designatur, flammæ nomini súbit : unde prior implícita comparatio fit.

Eodem modo participium præteritum verbi *tan*, cum præverbio *ví*, *vítatam*, libaminis nomini succedit, cujus in locum reponitur, unde fit nova implicita comparatio quæ priori similis est.

Hic rursus locus eadem explicatione interpretandus est :

V. 14. 2. *tám adhvaréšv īḷate devám mártā ámartyam.*

« In ignis alimentis, mortui vocant fulgentem illum non mortuum[1], »

in quo hinc pars subjectiva *mártāḥ* est forma plena participii præteriti *mṛtá* e *mṛ* = *mori;* hoc vocabulum ideo *mortuos* indicat; in locum nominis soma accedit, cui subit.

Illinc *devám* et *ámartyam* primitus nominis ignis attributa in locum hujus nominis accedunt ei subeundo.

Quæ ratio in permultis occurrit locis quorum nonnullos etiamnum proferam.

Sic in versu :

V. 81. 5. *çyāvā́çvas te savita stómam ānaçe.*

« Is qui possidet equos fuscos, obtinuit tuum cantum, o tu qui liquorem elicis ! »

vocabulum *çyāvā́çvas* epitheton est libaminis utpote flammis (fuscis) superati, et locum nominis soma ipsius tenet.

Item in versu :

IX. 82. 3. *parjányaḥ pitā́ mahišásya parṇinaḥ.*

« Irrigator, pater uri aligeri[2], »

epitheton vocabuli soma, *parjánya*, quod dimittit liquorem cujus est capax, in locum nominis soma succedit.

1. *márta, mṛtá* aut *mártya* sunt epitheta libaminis non manifestati; et, per oppositionem, *ámartya, amṛ́ta* est ignis epitheton. Libamenta tamen, postquam jam sunt *non mortua*, cum inflammantur, tunc ignem vocant.

2. *Urus aliger* ignis est qui crepitat (mugit) et cujus flammæ agitantur.

Haud secus demum de adjectivo *mártāsaḥ* in hoc loco :

V. 9. 1. *tvā́m agne haviš̌manto devā́m mártāsa īḷate.*
« O ignis ! mortui oblatione potiti te vocant fulgentem. »

§ 4. *De geminis comparationibus*

Comparationes seu explicitæ seu implicitæ, de quibus adhuc disseruimus, sunt *simplices* in quibus altera pars, nedum recte expressa sit, altera parte ad quam est collata, suppletur.

Juxta has simplices comparationes quæ creberrimæ inveniuntur in Rig-Veda, quædam aliæ sunt, minus usitatæ quidem sed multipliciores quas, cum Bergaigne[1] consentiens, *geminas comparationes* appellabo.

Quæ hoc modo insigniuntur :

1º Res de qua vere agitur, utputa ignis sacrificii, primum implicite cum altera re comparatur, verbi gratia cum sole, cujus nomen, ut vidimus, in illius nominis locum accedit : nihil igitur aliud est adhuc nisi simplex comparatio.

2º Illa autem res quæ priori comparationi profuit, scilicet sol, rursus cum altera re, utputa cum cœlo, comparatur ; et cœli nomen nomini solis adjicitur.

Ita ad summum geminæ comparationes ex hac sequenti conceptione exstruuntur :

1. Bergaigne, *Quelques Observations sur les figures de rhétorique dans le Rig-Veda*, p. 100.

Ignis est sol;
Ignis est cœlum;
Unde fit : Sol est cœlum.

Inspiciamus exempli causa hunc infra citatum locum :

I. 48. 5. *ā́ ghā yóševa sūnáry ušā́ yāti.*
« Sane ut pulchra virgo, aurora venit. »

Hoc in versu nobis occurrit gemina comparatio in qua hinc libamen incensum, ob ejus splendorem, implicite confertur ad *auroram*, cujus nomen *ušā́* nomini illius sufficitur; illinc aurora, scilicet libamen incensum rursus, at nunc explicite, comparatur cum *virgine*, *yóšā*, probabiliter quod utraque visu pulchra est.

In summum nobis res est cum gemina comparatione cujus finis est libamen incensum, soma pavamāna.

Versus autem sequens nobis geminam præbet comparationem cujus finis est soma :

V. 68. 2. *samrā́jā yā́ ghṛtāyonī mitráç cobhā́ váruṇaç ca.*
« Duo qui una fulgent, qui butyrum pro vulva habent, amicus et is qui involvit... »

Primo illud soma comparatur cum *butyro* liquido stillatim effluenti et apto ad inflammandum;

Quod metaphoricum butyrum rursus confertur ad *vulvam* a qua ignis oritur.

In hoc alio loco sequenti, gemina comparatio, si præsertim ad versum V. 68. 2, supra citatum componemus, intellectu facillima erit :

I. 125. 5. *tásmā ā́po ghṛtám aršanti.*
« Ei[1] aquæ butyrum conflant. »

Quædam vero ex istis geminis comparationibus peculiarem speciem præbent, utputa hæc ad libamenta incensa pertinens :

I. 186. 8. *pṛ́šadaçvāso 'vánayaḥ ná ráthāḥ.*
« Currus (qui sunt) quasi profluentes cum equis variatis. »

in qua :

1° *Currus* indicant flammas libamentorum junctas cum libamentis ipsis ;

2° Libamenta sunt quoque *profluentes* (liquidi) ; et, cum superantur flammis undantibus et ad *equos* collatis libaminis *currum trahentes*, libamenta illa fiunt *profluentes cum equis variatis.*

Itaque comparationes comparationi, quam hoc postremum exemplum præbet, similes vocat Bergaigne *inversas*, « des comparaisons retournées[2] », quas his verbis definit : « celles dont les termes » occupent la place inverse de celle qui nous sem- » blerait leur appartenir naturellement. »

Mirari profecto nobis liceat si in versu proxime citato (I. 186. 8) intelligamus currus proprie dictos cum profluentibus esse comparatos, nam forte inversa comparatio vere ad naturam sit accommodatior : flumen quidem velut currus incitatus currit. Attamen cum currus ad profluentes conferimus, aut e contrario, ad summum unica, sed biformi,

1. Igni sacrificii.
2. Bergaigne, *Quelques Observations sur les figures de rhétorique dans le Rig-Veda,* p. 98.

comparatione utimur; nam una notio, scilicet notio ingressionis, cursus summatimque motus, in hac comparatione prævalet. Unde, ut mihi videtur, concludi potest comparationes, quas Bergaigne « *retournées* », *inversas*, vocabat, non necessario in peculiarem categoriam disponendas esse.

Ceterum hæc adumbratæ comparationes quæ *inversæ* dicuntur, nihil aliud manifesto sunt nisi geminæ comparationes.

Etenim, ut ad nostrum exemplum redeamus, non a currus notione est proficiscendum; currus enim de quibus agitur, non veri currus sunt; quippe jam occurrit nobis implicita comparatio in qua vocabulum *currus* nomini libamentorum incensorum subit.

Hi *currus* rursus invicem ad *profluentes cum variatis equis* comparantur; sic enim libamenta incensa interdum designantur.

Igitur de his libamentis ad postremum revera agitur, quæ ita aperte comparationi geminæ prosunt.

Ex illis omnibus disputatis concludendum est, omnes, ut opinor, quæ in Rig-Veda insunt, comparationes in has tres categorias quas, capitulo ineunte, constituimus, distribui posse: comparationes explicitas, comparationes implicitas, geminasque comparationes.

CAPUT QUARTUM

QUOMODO IN RIG-VEDA EADEM RES VARIIS NOMINIBUS HAUD SEMEL ITERETUR

Hæc orationis figura, quam iterationem dicam, constat in una eademque re semel ac sæpius et nominibus variis et in varia positione iteranda, ut legentes persuasum habeant multas esse res diversas.

Ita in hoc versu :

> III. 24. 4, *ágne viçvebhir agníbhir devébhir mahayā girah̩.*
>
> « O ignis ! per omnes ignes fulgentes amplifica (tuos) cantus[1] ! »

eadem res, ignis, iteratur : hinc ignis certo est res quæ compellatur, unde vocativus *ágne;* illinc ignis per se ipsum suos cantus est amplificaturus, unde fit ut idem vocabulum casu instrumentali *agníbhih̩* adhibeatur.

Verumenimvero illa ejusdem vocabuli positio vocativo atque instrumentali casu et imo prius singulari et posterius plurali numero, affert in mentem non jam notionem unius ejusdemque rei in duabus

1. Amplifica tuos crepitus, aut melius, tuas crepitantes flammas.

positionibus dissimilibus, at certo duarum rerum propriarum e quibus altera alterius auxilio uteretur ut propositum efficeretur.

I. — Facile ex exemplo supra citato naturam verbalium iterationum in Rig-Veda occurrentium intelligere possumus, cum, in quo exemplo, eodem vocabulo iteratio indicetur. Figura similis, tamque clara, nobis occurrit in locis sequentibus :

VI. 11. 6. *daçasyā naḥ purvaṇīka hotar devébhir agne agníbhir idhānáḥ.*
« Da nos[1], o fusor multis acuminibus prædite, o ignis qui per fulgentes ignes te incendis ! »

Hoc in loco apte ut in priore exemplo ignis iteratur propterea quod nomen, quo designatur, et vocativo singulari et instrumentali plurali adhibetur.

In versu I. 164. 50, oblatio nihilo aliter iteratur :

yajñéna yajñám ayajanta deváḥ.
« Per oblationem, fulgentes sacrificaverunt oblationem. »

Figura denique, quibuscumque casibus usurpatis, eadem permanet :

I. 14. 12. *deva... devān ihá vaha.*
« O fulgens ! huc affer fulgentes ! »

I. 13. 11. *áva sṛjā vanaspate déva devébhyo havíḥ.*
« O fulgens, ligni (aut silvarum) domine, fac ut oblatio fluat fulgentibus. »

1. Da nos, id est, da nostra dona, nostra libamenta flammis tuis.

I. 91. 23. *devéna no mánasā deva... rāyó bhāgáṃ sahasāvann abhi yudhya.*
« Per nostram rem fulgentem et cogitantem[1], o fulgens ! o fortis ! pecuniæ[2] partem (tibi) acquire ! »

I. 169. 8. *stávānebhi stavase deva devaiḥ.*
« Celebras[3], o fulgens ! per fulgentes qui celebrant[4]. »

III. 4. 1. *á deva devān yajáthāya vakši*
sákhā sákhīn sumánā yakšy agne.
« O fulgens ! affer fulgentes ad sacrificium[5]; o socie ! o ignis ! sacrifica (tuos) socios[6] per id quod bene cogitat. »

VI. 15. 6. *devó devéšu vánate hi váryam.*
« Fulgens (qui inest) in fulgentibus sane thesauro potitur. »

I. 68. 2. *pári yád ešām éko viçvešām bhúvad devó devānām mahitvá.*
« Cum ille unicus fulgens se manifestabat per rem ingentem illorum omnium fulgentium. »

II. — Illis in omnibus exemplis iteratio manifesta est, cum unum et idem vocabulum casibus diversis adhibitum iteretur; plerumque tamen

1. Res *fulgens* atque *cogitans* soma est incensum et crepitans.
2. Libamen habitum pro *pecunia* qua potitur et vescitur ignis.
3. Id est, crepitas.
4. Illa libamenta incensa et crepitantia.
5. Ad sacrificium, id est, ad eos flammarum specie manifestandos.
6. Ignis *socius* est libaminis; libamenta autem sunt ignis *comites*.

figura de qua disserimus, minus aperte apparet; tunc enim, quamvis una et eadem res in positionibus diversis ponatur, vocabulum, quo designatur, in unaquaque positione aliud est.

Quod fit in hoc loco :

I. 1. 5. *agnír hótā... devó devébhir á gamat.*
« Ignis, fusor, fulgens per fulgentes venit, »

in quo ignis est res iterata : ignis venit, unde nominativus *agníḥ;* per semetipsum venit, unde necessitas esset casus instrumentalis *agníbhiḥ* numero plurali, ut in locis de quibus supra disputavimus. Atqui nomini *agníbhiḥ* suffectum est adjectivum *devébhiḥ*, quod huic nomini plerumque adjicitur (Cf. formam tam crebram *agnír devā́ḥ*), et in hoc versu vim nominis habet. Quas ob causas hanc verborum compositionem, *agnír hótā... devó devébhir á gamat,* probamus pro illa phrasi, *agnír hótā... devó 'gníbhir á gamat,* quam scribere possimus.

Haud absimili modo interpretandus est hic locus :

I. 19. 1. *marúdbhir agna á gahi.*
« Per vehementes, o ignis! veni. »

in quo vocabulum *marúdbhiḥ,* indicans flammas, in locum vocabuli *agníbhiḥ* succedit.

In aliis quibusdam versibus ejusdem rei iteratio hinc hujus rei nomine, illinc vocabulo seu unam ex ejus proprietatibus seu unum elementorum e quibus constat, indicanti, exprimitur.

Quod quidem exempla sequentia probant :

VI. 48. 7. *bṛhádbhir agne arcíbhiḥ çukréṇa deva çocišā*
dīdihi dyumát.
« Per res valentes (quæ fiunt) tuæ flammæ[1], o ignis! per tuum clarum lumen, o fulgens! illumina rem claram! »

Quo in versu iteratur sacrificii ignis simul suo proprio *agne* et suarum flammarum nomine *arcíbhiḥ*.

V. 26. 1. *ágne pāvaka rocišа...*
ā́ devā́n vakši yákši ca.
« O ignis incense! per tuum splendorem affer fulgentes eosque sacrifica! »

Iteratio quoque apparet in vocabulis *ágne, rocišā* et *devā́n;* velut in vocibus *agníḥ* et *bhúvanāni* quæ infra sunt :

II. 3. 1. *sámiddho agnír níhitaḥ pṛthivyā́m pratyáṅ víçvāni bhúvanāny asthāt.*
« Ignis accensus, infra positus in lata (terra), versus in omnes (ejus) significationes[2], stetit. »

Denique iteratio et proprium rei iteratæ et rei quacum comparatur, nomen nonnunquam patitur. Ita versus :

IX. 107. 23. *tváṃ samudrám prathamó vi dhārayo devébhyaḥ soma.*
« Tu, o soma! quod procedis, sustines mare quod fulgentibus extendis! »

1. Illa libamenta valentia ignem ferunt, incensaque fiunt hujus flammæ.
2. *Bhúvanāni,* res quæ sunt sacrificii significationes, id est, flammæ.

nobis praebet iterationem vocabuli *sóma* simul suo proprio nomine designati et nomine rei *samudrá* quacum comparatur.

In versu I. 15. 7, idem soma nomine ad genus pertinenti *adhvará*, *ignis alimentis,* et vocabulo oblationis *yajñá*, iteratur :

draviṇodā́ dráviṇaso grā́vahastāso adhvaré
yajñéšu devám īḷate.

« Largitor pecuniæ[1], ii quorum manus per petram se manifestat[2], vocant fulgentem in ignis alimentis, in oblationibus. »

Versus autem VI. 16. 7, nobis idem soma ostendit iteratum nomine oblationis, *yajñá*, et uno ex ejus epithetis, *márta :*

tvā́m agne mártāso devá vītaye
yajñéšu devám īḷate.

« O ignis fulgens ! mortui te vocant fulgentem in oblationibus, ad convivium[3]. »

nis similiter et suo nomine et vocabulo *auroræ*, d quam implicite confertur, iteratur :

IV. 13. 1. *práty agnír ušásām ágram akhyat.*
« Ignis aurorarum acumen aspiciebat. »

aut etiam suo nomine et appellatione metaphoricorum *equorum* quibuscum tam sæpe ejus flammæ comparantur :

1. Ignis sibimet ipsi dat pecuniam, scilicet libamen, cum id incendit.
2. Ignis *manus* est flamma qua libamen rapit; at hæc manus est *petra*, utpote libamen, ante fracta atque incensa.
3. *Vīti*, par metaphoram, unum e nominibus libaminis quod gustant et opipare epulantur flammæ.

VI. 16. 43. *ágne yukšvā́ hí yé távā́çvāsaḥ.*
« O ignis! certe junge (illos) qui tui equi sunt! »

Solis nomen pariter iterationes eodem saltem modo quo auroræ nomen patitur:

I. 123. 3. *devó no átra savitā́ dámūnā ánāgaso vocati sū́ryâya.*
« Noster fulgens, qui liquorem elicit, qui hic intus sedet, nuntiat (nos esse) solutos ad solem[1]. »

III. — Omnes figuræ, quas modo inspeximus, constituunt id quod *simplices iterationes* dicere possumus, quoniam eadem res in *duabus* tantum positionibus diversis proponitur. Juxta has simplices, aut iterationes proprie vereque dictas, Rig-Veda alias præstat plura continentes in quibus eadem res diversis in positionibus seu paucioribus, seu plurimis,ponitur et totidem nominibus variis designatur. Quæ hujus rationis formæ generatim *multiplices iterationes* dici possunt.

Nulli, ut vera dicam, certique fines istis iterationibus constituendi sint, nam animo facile percipitur unam atque eamdem in hymnis rem, tot conditionibus totque positionibus diversis quot vati sunt voluptati, depingi posse. Revera tamen, in multiplicibus iterationibus est certus modus qui non exceditur.

Ita, si iterationem proprie dictam de numero excerpimus, iteratio tripertita omnium usitatissima in Rig-Veda apparet.

1. Aliter, ignis qui libamen elicit et intro penetrat, suis crepitibus oblationes non jam retineri nuntiat, quæ contra se extendunt et gignunt ipsum, ignem cum sole collatum.

Hic infra quædam exempla :

IX. 67. 28. *prá pyāyasva prá siyandasva sóma*
viçvebhir añçúbhiḥ
devébhya uttamám haviḥ.

« Tumesce, o soma! proflue omnium plantarum auxilio, (tu quod es) fulgentibus summa oblatio! »

Aperte in hoc loco de multiplici iteratione vocabuli soma triformis habiti agitur: 1° soma est primo verum soma quod compellatur suo nomine proprio, *sóma;* 2° secundo, soma est universitas libamentorum cum plantis comparatorum, et per quas ad profluendum incitatur, id est, ad assurgendum et ad se, ignis instar, augendum, *víçvebhir añçúbhiḥ;* quod quidem significat soma per se profluxurum esse ; 3° tertio demum, res quidem apertissima est, soma ipsum libamen est, *havíḥ*, flammis oblatum fulgentibus quæ illud in flammam convertent, illique tunc concedent ut sublime abeat, *uttamám.*

Eadem quoque et persimilis nominis soma iteratio nobis in hoc versu occurrit :

V. 22. 3. *tvā devám mártāsa utáye*
...ávasa ...amanmahi.

« Te fulgentem ad potionem, ad convivium vocavimus, nos mortui. »

Mortui de quibus agitur sunt libamenta non incensa, non manifestata, inertia obscuraque; quæ flammas fulgentes suum in sinum vocant ut ipsa rursus fulgeant; at ita convivium constituunt potionemque flammarum quæ illa gustant rapiuntque et bibere habentur.

Eodem modo explanabitur etiam hic versus :

VII. 21. 1. *bódhāmasi tvā haryaçva yajñaiḥ*
bódhā na stómam ándhaso mádešu.

« Te excitamus[1] per oblationes, o tu qui aureos habes equos; nostrum suscita cantum[2] in herbæ potionibus! »

in quo libamenta tribus diversis nominibus designantur :

1° Oblationibus, *yajñá*, vocabulo proprio;

2° et 3° Herbæ potionibus, *ándhas*, *máda*, id est, libamentis quæ bibunt flammæ.

Soma instar, sacrificii ignis persæpe itemque iteratur; tunc tribus designatus nominibus triformiter apparet :

I. 74. 9. *utá dyumát suvíryam bṛhád agne vivāsasi*
devébhyo deva dāçúše.

« Rem claram, potentissimam, valentem[3], tentas, o ignis fulgens! obtinere fulgentibus, ei qui donum habet. »

Quo in versu :

1° Ignis primo designatur proprio nomine suo, quod usitatum comitatur epitheton, *ágne... deva;*

2° Ex altera parte, ignis est fulgentium universitas flammarum, *devébhyah;*

3° Est denique, tertia sub specie, is qui sibi dat

1. Id est te vivum efficimus et movemus, te ignem manifestamus.

2. Scilicet, fac ut libamenta nostra crepitent.

3. Epitheta nominis soma sive accensi, sive obscuri.

libamen, cum hoc potiatur ipsumque incendat, *dāçúše.*

Ignis pariter in versu sequenti est *fulgens; fulgentesque,* et *quod clarissimum est :*

III. 15. 6. *devébhir deva surúcā rucānáḥ.*

« Per fulgentes, per id quod clarissimum est, (tu es) clarus, o fulgens! »

Præter has multiplices iterationes in quibus una eademque res tribus diversis nominibus indicatur, nobis Rig-Veda aliquas alias, plura etiam continentes, sed ideo rariores præbet.

Ecce, verbi gratia, locus quidam ubi quatuor nominibus ignis designatur :

I. 50. 10. *devám devatrā́ sū́ryam áganma jyótir uttamám.*

« Venimus ad fulgentem, ad fulgentes, ad solem, ad summum lumen. »

Ignis profecto non suo proprio nomine designatur, attamen de igni vere agitur, nam haud nescimus :

1° Ignem esse fulgentem, *devám;*

2° In fulgentium numero esse, *devatrā́;*

3° Præterea eum sæpe, ob fulgorem, cum sole comparari, *sū́ryam;*

4° Ad postremum, considerato ejus flammæ cacumine, positioneve erga soma inspecta, ignem esse lumen summum, *jyótir uttamám.*

Alio in loco, iteratio multiplicior adhuc est, cum quinque ignis nominis synonyma inveniamus :

X. 37. 1. *dūredṛ́çe devájātāya ketáve divás putrā́ya sū́ryāya çaṅsata.*

« Ei qui procul videri potest, ei qui e fulgentibus natus est, signo fulgenti, cœli filio, soli : cantate! »

Etenim ignis in hoc versu designatur seu epithetis ipsi congruentibus seu nominibus rerum ad quas, ob suum splendorem, implicite confertur.

Profecto iterationes tam multiplices in Rig-Veda paucissimæ sunt. Quidquid id est, exempla inveniuntur ea quæ satis ostendant quantæ curæ hymnorum scriptoribus fuerit verbis sententias variare et ideo quam longe in diversa ejusdem vocabuli synonyma captanda hi progressi sint.

CAPUT QUINTUM

DE ORATIONIS RATIONE
QUA DUÆ PLURESVE RES UNUM ATQUE IDEM FIUNT
SCILICET DE ASSIMILATIONIBUS

I

I. — A certa parte assimilatio iterationi repugnat; etenim dum hæc ratio in una eademque re in diversas positiones indenda et in nomine, prout quæque positio postulat, novo eidem rei dando constat; assimilatio contra uno atque eodem nomine duas pluresve res omnino distinctas designat.

Quod quidem fit, verbi gratia, in versu sequenti :

> I. 35. 11. *tébhir no adyá pathíbhīḥ sugébhīḥ*
> *rákšā ca no ádhi ca brūhi deva.*
>
> « Per istas vias optime patentes, hodie nos cape, et sublime ad nos loquere, o fulgens! »

Sacrificatores loquuntur et ignem compellant; ita quidem versus finis docet : « *no ádhi ca brūhi, et sublime ad nos loquere* », ubi vox *naḥ* est indirectum complementum verbi *brūhi*, et sacrificatores ipsos designat.

Atqui in priore versus parte nobis occurrit eadem vox *naḥ*, « *tébhir no adyá pathíbhīḥ sugébhī rákšā* », quæ certo certius sacrificatores quoque indicat.

Num igitur ignis obsecratur ut sacrificatores ipsos rapiat? Manifesto non obsecratur : quippe dona et libamenta a sacrificatoribus allata rapiet. Igitur eadem vox *naḥ* grammatice sacrificatores, et dialectice vereque horum dona significat : hoc una voce dona sacrificatoresque assimilantur.

II. — Cunctæ tamen in Rig-Veda assimilationes tam concisa brevitate non sunt; nonnullæ enim clariores ad simplicia reducuntur æquamenta, in quibus duæ partes, quamvis plane distinctæ, in unam atque eamdem coactæ habentur et earum, quas designant, rerum assimilationem requirunt.

Quod revera testatur hoc exemplum :

II. 1. 11. *tvám agne áditir deva.*
« Tu, o ignis fulgens! (tu es) res exsoluta. »

Quod est absolutum æquamentum unde fit ut ignis et exsolutum libamen, id est, dilatatum manifestatumque, ex duobus unum faciant :

agne = *áditiḥ.*

Et tamen ignis, quamvis e libamine oriatur, non in unum cum isto se immiscere queat; nam ignis a libamine omnino segregatur. Nihilominus cum libamen exsolvitur nec ullo impedimento retinetur, tunc in flammas mutatur, igneum fit; ea causa simul et ea explanatio est cur illa fiat figura ex qua ignis libamenque assimilentur.

III. — Quædam singularis assimilationis species in appositione articularis pronominis neutraliter adhibiti et nominis masculini femininive constat.

Sit pro exemplo hic versus :

I. 32. 12. *áçvyo vā́ro abhavas tád indra.*
« O ardens! illud fuisti : equæ vellus! »

tád articulare pronomen neutraliter adhibitum *vā́ra* nomen masculinum grammatice determinare non potest. Duo igitur vocabula in appositione posita sunt; nam hoc significationem illius adhuc incertam explet.

Tunc noster versus hac ratione explicatur :

O ignis ardens! fuisti res quæ adest, *tád*, scilicet equæ vellus, id est iners libamen quod liquores flammis obnoxios continet atque eodem modo involvit quo equa lac quod ex se ipsa emittit, in sinu includit.

Ignis quippe, priusquam sub ignea ardentique forma appareret, erat res quæ monstrari habetur, *tád*, et hæc res est equæ vellus quocum iners libamen habitum adhuc involutum nec manifestatum, implicite confertur.

In summa, hæc est duplex assimilatio, duplex æquamentum scilicet :

indra = *tád;*
tád = *vā́ra.*

Haud absimili ratione hic alius locus interpretandus est :

I. 162. 21. *ná vā́ u etán mriyase.*
« Certe (tu qui es) illud, non moreris[1]. »

Verbum *mriyase* secunda persona est, ideo articulari pronomine *etád* non parte subjectiva utitur;

1. Id est, tu es vivus, animatus, agitatus.

subjectum verum subauditur; ignis recte compellatur et simul persona habetur: « *Tu*, *o ignis*, *tvam agne*[1]. » Sequitur ut pronomen *etád* vocativo *agne* subaudito apponatur, aut potius *agne* atque *etád* assimilentur :

agne = *etád.*

Atqui *etád* valet *res quæ hic est*, res quæ ostenditur et indicatur, manifesto libamen. Unde ad postremum liquet ignem libamenque assimilari.

Interdum pro articulari pronomine obvenit indefinitum pronomen et ideo neutrale *īm* nomini cuidam masculino vel feminino appositum.

Quod fit in versu :

I. 71. 5. *mahé yát pitrá īṃ rásaṃ divé kár.*
« Postquam ingenti, patri, cœlo, id protulit, (scilicet) liquorem... »

in quo *īm*, ut diximus, nomini *rása* masculino apponitur; *īm* = *id*, *quidquam, liquori* = *rása* assimilatur :

īm = *rása.*

Etenim de una atque eadem re agitur, de libamine quod generaliter jam designatur indefinito pronomine *īm*, et mox specialiter *liquoris* appellatione, *rása*, determinatur.

1. Hymnus dicitur dedicari deo *Açvastutis;* atqui *açvastutis* est ignis epitheton : ignis qui *celebrat*, id est, crepitat, *per equum*, scilicet ignem, aut *per equum*, scilicet soma.

II

Quod si nunc assimilationem non jam pro verbali elocutione at potius pro rebus designatis respiciemus, duæ assimilationum species in Rig-Veda quæ in primis indicentur, dignæ erunt :

1° Sacrificii elementorum inter se assimilatio[1] ;

2° Sacrificatorum oblationibus assimilatio.

I. — Quid intelligendum sit cum dicimus sacrificii elementa inter se assimilata esse ? Profecto ignis lucidus et fulgens libamini liquido obscuroque assimilari nequeat : etenim duo sacrificii elementa ita proposita potius repugnant quam assimilantur.

Libamen autem bifariam respici potest :

1° Est primo libamen obscurum et liquidum ;

2° At etiam incensum est.

Sub priore specie libamen repugnat igni quem gignit et alit ; cum vero auctum est et inflammatum, in ignem mutatur : itaque illi assimilari potest.

Quæ assimilatio in hoc versu nobis occurrit :

II. 1. 11. *tvám agne áditir deva.*

« Tu, o ignis fulgens ! (tu es) res exsoluta. »

1. Ex illa assimilatione, postquam hominum animi deos Agni, Varuṇa, Mitra, Aditi, etc., esse firme credere cœperunt, id est, postquam verbales metaphoræ in Rig-Veda occurrentes proprie acceptæ sunt, id ortum est quod *deorum diis assimilatio* vocatum est. — De hac deorum inter se assimilatione, Vide : A. Barth, *Les Religions de l'Inde*, in *Encyclop. d. Sc. relig.*, 1879, VI, 525 ; Oldenberg, *Die Religion des Veda*, p. 98.

Ignis enim nihil aliud est nisi libamen exsolutum, id est, auctum atque incensum, unde fit assimilatio, aut potius æquamentum :

agne = áditiḥ.

Haud absimili modo, illud soma cum inceditur, aliter dictum *sóma pávamāna*, igni persimile fit; quam ob causam epitheta quæ vulgo nomini ignis adjecta inveniuntur, soma adjici possunt.

Ita soma pavamāna esse *clarum* dicetur : *çukráḥ... soma* (IX, 109, 5) ; *se erigere, antecedere : prathamáḥ... soma* (IX, 107, 23) ; *esse lucidum, igneo colore* et *illustrari : hárim mṛjanti... sómam... indum* (IX, 109, 12).

Si etiam inflammabitur, soma rursus libamen incendere poterit ; tunc verbi gratia dicemus :

IX. 80. 4. *soma... viçvān devā́n ā́ pavasvā.*
« O soma! omnes fulgentes incende. »

Quod de soma, de libamine modo dictum est, pariter igni convenit.

Ignis, utpote fulgens et lucidus, libamini repugnat; at, priusquam manifestetur, nihil aliud est nisi libamen, cui omnino assimilatur.

Unde hic infra locus :

I. 94. 13. *devó devā́nām asi mitró ádbhutaḥ*
vásur vásūnām asi cā́rur adhvaré.
« Fulgentium tu amicus es fulgens, cum manifestaris; in ignis alimentis, tu es jucundæ divitiæ divitiarum. »

Ignis enim, cum manifestatur, *ádbhutaḥ*, est fulgens, *deváḥ;* et ideo est socius et amicus, *mitráḥ*,

flammarum fulgentium, *devânām*, illum constituentium.

Quid est autem ignis, antequam manifestetur, nisi libamen obscurum, flammæ alimentum, *adhvará*, et, per metaphoram, *divitiæ*, *vásu*, quas flammæ expetent quibusque potientur?

Ita ignis, non manifestatus, *Agni aja*, soma libaminique, sicut illud *Soma pavamāna* fulgentibus flammis, assimilari potest.

II. — Alterius ex sacrificii elementis alteri assimilatio possit *per analysin* assimilatio dici, cum duæ partes eam constituentes semper enuntientur; ita tantummodo agglomerantur ut æquamentum, id est, summatim assimilationem, utraque parte idem invicem valente, efficiant.

Sacrificatorum contra oblationibus assimilatio, quasi per veram *synthesin* apparet, in qua non solum duæ partes agglomerantur, sed in unam etiam coeunt, quare utraque simul uno vocabulo enuntiatur; non est igitur merum æquamentum, sed absoluta assimilatio.

Ita in exemplo quod, hoc ineunte capite, protulimus :

> I. 35. 11. *rákšā ca naḥ.*
> «Et nos cape!»

jam occurrit una tantum vox *naḥ*, quæ grammatice sacrificatores at dialectice dona quæ afferunt hi ad ignem, designat.

Ceterum ea assimilatio diutissime paratur, ultimum quippe tripartitæ mutationis stadium præbet.

A). Primo sacrificatores et libamenta vocabulis

diversis, quorum alterùm semper est alterius finitum complementum, designantur; qua in ratione igitur ne minima quidem assimilatio esse queat, cum veritas sola et mera expromatur.

Sic in versu :

IV. 37. 1. *úpa no vājā adhvarám... dévá yātá.*
« Ad nostras corroborantes potiones, ad nostra ignis alimenta, venite, o fulgentes! »

libamenta nomine corroborantium potionum, *vā́jāḥ*, aut generali vocabulo ignis alimentorum, *adhvará*, designantur, dum genitivus casus *naḥ*, vocabulorum priorum complementum, sacrificatoribus convenit.

Alia exempla clariora etiam erunt, si necesse erit :

VII. 17. 7. *té te devā́ya dā́çataḥ syāma*
mahó no rátnā ví dadha iyānáḥ.
« Tibi, tibi fulgenti, utinam dona afferamus! postquam veneris, instituito ea augens dona nostræ rei magnæ! »

Res magna de qua in hoc versu agitur, libamen est; sacrificatorum est qui id igni afferunt, unde genitivus *naḥ* qui possidendi relationem significet.

In aliis quibusdam versibus libamen aperte designatur :

IV. 14. 1. *imáṃ yajñám úpa no yātam ácha.*
« Venite ad nostram oblationem quæ adest! »

III. 40. 3. *índra prá ṇaḥ... yajñám... tirá.*
« O ardens! promove nostram oblationem[1]! »

1. Id est, fac ut nostra oblatio assurgat sub flammarum specie.

In quibus duobus exemplis, ut in supra citatis, genitivus *naḥ* aperte oblationem esse sacrificatorum docet.

B). In secundo stadio, hæc possidendi relatio inter libamenta et sacrificatores, quam casu genitivo indicatam esse modo vidimus, perit et loco cedit locutionibus in quibus oblationum nomen et pronomen sacrificatores designans, eodem casu structa sunt et invicem apponuntur; nondum assimilatio facta est, at jam in effectu est.

Ita in hoc versu :

> III. 33. 6. *vayám prasavé yāma urvíḥ.*
> « Nos, latæ, imus in hoc quod profluit. »

Pronominis *vayáṃ* = *nos*, sacrificatores indicantis, ad epitheton *urvíḥ*, libamenta designans, adjunctio utrorumque assimilationem significat.

Alio in versu sequenti, adjunctio similis manifestius forsan per conjunctionem *ca* = *et*, notatur :

> I. 26. 8. *svagnáyo hi vā́ryaṃ devā́so dadhiré ca naḥ.*
> « Certe ii qui bonos ignes habent, fulgentes, thesaurum et nos constituerunt. »

Libamen, metaphorice sub nomine *thesauri*, *vā́rya*, designatum, et sacrificatores, *naḥ*, qui id afferunt, aperte assimilantur, cum vocabula utrosque designantia hinc easdem in oratione partes agant, et illinc conjunctione *ca* inter se conveniant. Possessionis enim relatio, qua vocabulum *naḥ* finitum nominis *vā́ryam* complementum sit factum, elapsa est ; duo vocabula idem grammatice declarant, qua

re in unum mox coitura et assimilanda esse ostenduntur.

C). Quae assimilatio mox efficitur; tunc sacrificatores eorumque oblationes solummodo una eademque voce, primæ personæ pronomine designantur; in quo quidem tertium et ultimum mutationis, quam jam percurrimus, stadium constat. Tam multa quam varia hujusmodi exempla sunt; nam omnes, præsertim plurales, pronominis primæ personæ declinationis casus usurpantur.

I. 174. 1. *pāhy àsura tvám̥ asmán.*
« Tu, animate, nos bibe! »

Id est, *tu, o ignis agitate, nostris oblationibus potire!* Ad quod enim ignis animatus agitatusque bibendum incitatur, id certo non sunt ipsi sacrificatores (*asmán*), at eorum libamenta. Utrique igitur omnino assimilantur; idem vocabulum verbo sacrificatores et re libamenta designat.

Haud secus varia lectio *naḥ* = *asmán* usurpatur, quæ tam sæpe in hujuscemodi locis occurrit :

I. 185. 2. *dyávā rákšatam pr̥thivī no ábhvāt.*
« O vos, duæ cœlestes, duæ terrenæ (latæ) nos eripite ex nihilo[1]! »

III. 1. 15. *rákšā ca naḥ... ánīkaiḥ.*
« Et nos cape per acumina[2]! »

1. Duo libamenta incensa (mas et femina) incitantur ad oblationes ex nihilo eripiendas, id est, ad eas procreandas manifestandasque.

2. Scilicet: « (o ignis!) nostras oblationes cape tuarum auxilio flammarum acutarum! »

V. 8. 4. *sá no jušasva samidhānó añgiro deváḥ.*
« Utinam hic fulgens, incensus, agilis, nobis fruatur[1]! »

Alii denique casus, quamvis usu minus frequentes, pariter inveniuntur :

I. 189. 1. *yuyodhy àsmáj juhurāṇám énaḥ.*
« A nobis remove malum quod obstat[2]! »

I. 114. 10. *sumnám asmé te astu.*
« Tua bona sententia nobis adsit[3]! »

I. 123. 13. *bhadrám-bhadraṃ krátum asmásu dhehi.*
« Institue in nobis ædificatorem unumquemque fulgentem[4]! »

1. « Utinam ignis, fulgens, incensus, agitatus, nostris oblationibus fruatur et eis inflammandis potiatur! »
2. « O ignis! per tuam flammam remove impedimentum fictum quod nostris augendis oblationibus obstat, et utinam hæ, te adjuvante, se manifestent! »
3. « Utinam soma incensum et crepitans veniat ad nostra incendenda libamenta! »
4. « Fac ut tumet ipse, o ignis! in libamenta nostra penetres eaque evolvas ac procrees ! »

CAPUT SEXTUM

DE VERBIS CONTRARIE RELATIS VEL DE ANTITHETIS

In Rig-Veda[1], ut in quovis libro, antitheton plane hoc spectat ut duæ sententiæ inter se diversæ in propinquo sint. Quod si, verbi causa, soma monstrandum erit sub gemino aspectu quem ipsi inesse putant, simul sub masculino aspectu (soma proprie dictum) ac sub feminino (libamen), tunc vedici poetæ dicent :

VI. 68. 4. *gnā́ç ca yán nárаç ca vāvṛdhánta.*
« Tunc et mulieres et homines creverunt[2]. »

quippe in antitheto opponent vocabula *gnā́* et *nṛ́* designantia mulieres atque homines quibuscum soma, utpote flammas gignit et promit, implicite confertur.

Eodem modo et, ut liquidi elementi relatio cum sacrificii igneo elemento manifesto ostendatur, nunc dicent :

1. De antithetis in Rig-Veda, vide sagaces verasque observationes illius philologi V. Henry in opere suo *L'Antithèse védique*, in *Rev. de Ling. et de Philol. comp.*, XXXI, 81 sqq.
2. Scilicet in flammarum formam se extenderunt.

I. 128. 3. *sádo dádhāna úpareṣu sā́nuṣv agníḥ páreṣu sā́nuṣu.*

« Ignis suam sedem in verticibus inferioribus et in superioribus collocat. »

Inferiores enim vertices in quibus ignis se collocat et sedem ponit, sunt liquida libamenta, et superioribus opponuntur, id est, libamentis incensis quæ nihil aliud nisi ignis ipse sunt.

Antitheta antithetis supra citatis similia in Rig-Veda creberrima occurrunt. Alia tamen sunt et magis insignia magisque etiam, propter annotationes suscitatas, memorabilia in quibus præcipue morabimur.

Persæpe enim antitheton ex affirmativa parte parti negativæ opposita constat. Hujusmodi sunt, verbi gratia, hæc antitheta :

devá — ádeva;
sát — ásat;
mártya — ámartya.

Quorum duo in loco sequenti versantur :

IV. 1. 1. *ámartyaṃ yajata mártyeṣv ā́ devám ā́devaṃ janata*
prácetasaṃ víçvam ā́devaṃ janata prácetasam.

« Sacrificate illum non mortuum in mortuis;
gignite fulgentem illum qui non fulget;
omnia non lucida, gignite lucida. »

I. — Devá-ádeva. Antitheton *devá-ádeva* nunc sub figura *devá-ā́deva*, ut demum in loco supra citato, nunc sub forma *devá-ádeva*, occurrit. Nihil equidem inter *ā́deva* et *ádeva* significatione interest; utrumque enim trahitur ex adjectivo *devá* quod

præverbium *a* negativum antecedit; at illud præverbium nonnunquam sub plena primigeniaque forma *ā* apparet[1].

Quid nunc e *devá* et *ádeva* intelligendum sit? *Devá*, ut jam scimus, epitheton est nominis ignis, *agnír deváḥ*, *ignis fulgens;* hoc adjectivum sæpissime nominis vim habet et valet *fulgens;* indicat igneum sacrificii elementum, ignem. Ita in versu supra citato (IV. 1. 1), videmus hoc vocabulum usurpari synonymon adjectivi *prácetas*, *lucidi; devá* igitur et sine dubio valet *fulgens* (Rad. *div, fulgere*); cui vocabulo posterius modo significatio *dei* assignata fuit.

Ex quo efficitur ut *ádeva* vel *ā̆deva, non fulgens, obscurus*, valeat; hoc est epitheton libaminis non incensi neque evoluti : cf. IV. 1. 1: *víçvam ā̆devam*, *omnia* (= libamen) *non lucida.*

Ita antitheton de quo agitur :

IV. 1. 1. *ā̆ devám ā̆devaṃ janata*,

aperte explanatur :

Gignite fulgentem illum qui non fulget, quod significat : ostendite sub speciem fulgentium flammarum libamen adhuc non fulgens.

II. — Sát-ásat. Antitheton *sát-ásat* nihil aliud nisi antitheti *devá-ádeva* varia lectio est.

Nam *sát,* participium præsens verbi *as, esse*, ad verbum valet *id quod est, manifestatum.* Eodem

1. Sic apud Grassmann, *Wörterb. z. R. V.*, vocabulo *ádeva,* praeter significationem *den Göttern zustrebend*, vis *gottlos* attribuitur.

modo quo *devá*, epitheton est ignis evoluti et manifestati (Cf. *agníḥ satyáḥ*).

ásat contrario, *id quod non est*, *non manifestatum*, epitheton est libaminis non evoluti, non incensi.

Itaque legitur in versu :

X. 72. 2. *ásataḥ sád ajāyata.*
« Ex non esse natum est esse, »

cum ignis manifestatus (*sát*) nascatur et libamine inerti et non evoluto (*ásat*).

Legimus pariter in versu :

VI. 24. 5. *ásac ca sát... ācakrir indraḥ.*
« Ardens qui instituit non esse et esse. »

Ignis quippe libamen adhuc obscurum et non manifestatum (*ásat*) incendit; quod igitur manifestatum (*sát*) efficit, quia sub flammarum fulgentium formam evolvit.

III. — Mártya-ámartya. Denique antitheton *mártya-ámartya*, quod invenitur quoque sub formis *márta-ámarta* et *mṛtá-amṛ́ta*, in eadem categoriam, in quam superiora, cadit.

Mṛtá præteritum participium est verbi *mṛ* = *mori; márta* idem est participium sub plena forma; *mártya* denique est adjectivum ab eodem verbo tractum. Hæc igitur cuncta vocabula valent *mortuus*, et libaminis utpote non evoluti nec manifestati epitheta sunt. Quod quidem hic locus testatur :

VIII. 11. 1. *tvám agne... asi devá á mártyešv á tvám yajñéšv īḍyaḥ.*
« Tu, o ignis ! tu fulgens, dignus es qui invoceris in mortuis, in oblationibus ! »

Structura sane vocabulorum *mártyešu* et *yajnéšu* eodem casu et cum eadem præpositione *á*, manifesto illa inter se apposita et synonyma habita esse indicat; oblationes enim mortuæ sunt, id est, non manifestatæ, et ideo ignis demum, ut eas manifestet incensas, vocatur.

Si *mṛtá* valet *mortuus*, *amṛ́ta* ergo est *non mortuus;* item *ámarta* et *ámartya*. Sunt equidem epitheta libaminis evoluti ac manifestati, quapropter ignis epitheta; reipsa sæpe cum vocabulo *agníḥ* cohærentia inveniuntur :

Cf. I. 44. 5. *amṛta... ágne.*

IV. 5. 2. *amṛ́taḥ... agníḥ.*

VII. 4. 4. *agnír amṛ́taḥ.*

Antitheton quidem *mártya-ámartya*, si vocabulorum, e quibus constat, significationem accepeperimus, recidet in *devá-ádeva*, aut quoque in *sát-ásat;* spectat quippe ad relationem oppositionemque ostendendas quæ liquidum inter et igneum sacrificii elementum insunt.

Quod quidem loci sequentes denotant :

IV. 1. 1. *ámartyam yajata mártyešu.*
« Sacrificate illum non mortuum in mortuis, »

scilicet patefacite ignem ex libamentis, quandoquidem ignis agitatur et vivit præ libamentis inertibus et tanquam mortuis.

V. 14. 2. *tám adhvaréšv īḷate devám mártā ámartyam.*
« In ignis alimentis, mortui vocant fulgentem illum non mortuum. »

In quo versu libamenta non evoluta tanquam personæ inducuntur et exhibentur quasi vocantia ignem manifestatum et vivum in ipsis ut rursus inflammentur.

> IV. 2. 1. *yó mártyešv amŕtah... devó devéšu.. nídhāyi.*
> « Is qui est non mortuus in mortuis, fulgens in fulgentibus, statuitur. »

Quo versu ignis manifestatus agitatusque (vivus, non mortuus), inter obscura libamenta depingitur, quin imo, cum manifestetur, ignis fulget medias inter suas flammas fulgentes.

> I. 77. 1. *yó mártyešv amŕtah... ít krṇóti devắn.*
> « Ille qui non mortuus est in mortuis, fulgentes profecto profert. »

Ex cujus loci interpretatione, ignis media in libamenta obscura penetrat eademque fulgentes in flammas mutanda manifestat.

IV. — Hæc tria antithetorum exempla modo relata, propter in Rig-Veda crebritatem et ob mythologicas interpretationes quarum causa fuerunt, certo gravissima sunt; at alia permulta eadem ratione grammatice structa inveniuntur.

Hoc, verbi gratia, antitheton est *kaví-ákavi* quod, sicut priora, ad ignem et soma opponenda spectat :

> VII. 4. 4. *ayám kavír ákavišu... ní dhāyi.*
> « Is sapiens in iis qui non sunt sapientes, instituitur. »

Ignis quidem, per metaphoram, sapiens vocatur

quia crepitat et ejus crepitus verbis sententiisque cujusdam assimilantur.

Imo contra soma liquidum ac non incensum non crepitat; non ergo cogitatione est præditum nec ideo demum sapiens est.

Haud absimili modo hæc interpretanda sunt antitheta :

mūrá-ámūra = (soma) *stultum*, oppositum (igni) *sapienti* et *intelligenti ;*

citrá-acitrá = (ignis) *fulgens*, oppositus (libamento) *obscuro ;*

prácetas-ápracetas = (ignis) *lucidus*, oppositus (libamento) *non lucido;*

ajá-jātá = (soma) *non natum*, *non manifestatum*, oppositum (igni) *nato* et *manifestato ;*

et vulgo, fere omnia ex altera parte affirmativa et altera rursus invicem negativa antitheta composita.

Nonnulla tamen excipiuntur nec ignis et soma oppositionem exhibent; hoc est, verbi gratia, antitheton *rātí-árāti.*

I. 29. 4. *sasántu tyā́ árātayo bódhantu... rātáyaḥ.*
« Obdormiant donorum inopiæ ; expergiscantur dona ! »

Nam dona libamenta sunt quæ in flammas crepitantes agitatasque mutabuntur.

E contrario illa non-dona sunt non-libamenta, id est, cum illorum notio maxime negativa sit, aliquid omnino commenticium et nulli rei veræ congruens.

Antitheton *rātí-árāti* igitur ab omnibus ante ins-

pectis dissidet. Ex abstractis præterea vocabulis non jam ex epithetis constat, unde licet id antitheton ducere formam et quasi naturalem notam omnium similium antithetorum quorum ceteroquin numerus in Rig-Veda perexiguus est.

CAPUT SEPTIMUM

DE AMPLIFICATIONIBUS

Amplificationem cum dicimus, oportet ejusdem sententiæ verbis ad nomen metaphorice adjunctis explicatio intelligatur.

Utputa versus:

> III. 20. 4. *agnir netā́ bhága iva kšitīnā́ṃ daívīnāṃ devá ṛtupā́ ṛtā́va*
> *sá vṛtrahā́ sanáyo viçvávedāḥ.*
> « Ecce ignis, cœlestium sedium dux ; (qui est) quasi particeps ; (qui) fulget ; libaminis (est) dominus ; libaminis possessor ; (qui) interficit id quod involvit ; (qui est) vetus ; omnia cognoscens, »

in quo de epithetorum ad ignem pertinentium serie agitur, quæ omnia ex illius intelligendi modo proficiscuntur.

Agitur quippe de sacrificii igni qui ex oblationibus oritur. Itaque :

1° Ignis est *dux*, *netā́* (e *nī*, *ducere*) libamentorum in quibus metaphorice sedet cum in ea penetret inflammanda et ad absolutum ducat incrementum, quippe qui eadem incendat, et, sicut ipse, illustret.

2° Atqui ignis, ut libamenta ad perfectam significationem ducat, iis potiri, eaque absumere et in

flammas mutare debet; unde illius epitheton *bhága*, libamentorum *particeps*.

3° Ignis est profecto splendidus, *devá*.

4° Sed ut ignis fulgeat, necesse est potiatur libamine quod eum gignit et alit; est ergo *ṛtupā́;*

5° Est quoque *ṛtā́van*, nam fit libaminis possessor, postquam eo potitus est.

6° Ut autem oblationem in fulgentes flammas mutet, ignis ea conditione prius stare debuit ut a libamine involucrum fictum incremento obstans arcuisset : porro ignis hoc involucrum transfixit et delevit; unde ejus epitheton *vṛtrahán*.

7° Epitheton vero *sanáya*, *vetus*, minus facile intelligitur; profecto intelligendum est ignem esse veterem præ flammis quæ post eum nascentur et recentes dicentur. In summa flamma prima vetus est præ flammis quæ posterius patescent.

8° Ad postremum ignis est *viçvávedas*, id est, *inventor* (e *vid*, *invenire*) aut *cognitor* (e *vid*, *cognoscere*) libaminis quod omnibus virtutibus congruentibus præditum esse putatur; etenim, post tantummodo quam id invenit ignis, libamen incendit; et ex altera parte notitiam ejus crebris suis crepitibus manifestat.

Ita omnia epitheta quæ in versu de quo disserimus, perpetua esse videntur et contexta, ad varias, sub quibus ignis pro libamine consideratur, facies ostendendas spectant : ex industria quidem epitheta illa juxtaposita sunt; in summa cogitatio quam de sacrificii igni habemus, dicendo amplificatur.

Ceterum hæc epitheta ex arctissimis legibus con-

nectuntur; quas ob causas noster Regnaud de igni dicere potuit :

« Agni est proprement le feu, et plus spéciale-
» ment le feu du sacrifice; mais il est auparavant
» et en même temps le *brillant* (Rac. *ak*, *akš*) et,
» comme tel, c'est un *déva* (Rac. *div*, *briller*). Il a
» de ce fait tous les caractères des dévas. Par lui-
» même d'ailleurs, il est *voyant* parce qu'il est bril-
» lant, et *savant* parce qu'il est voyant[1]. »

Eæ amplificationes non raræ apparent in Rig-Veda, præsertim cum de igni agitur.

Sic legimus in versu :

I. 127. 1. *agníṃ hótāram manye dắsvantaṃ vásuṃ sūnúṃ sáḥaso jātávedasaṃ vípraṃ ná jātávedasam.*

« Voco ignem fusorem ; donorum possessorem ; divitem ; vis filium ; cujus fulgor manifesto apparuit ; (et qui est) tanquam agitatus. »

Ignis enim libamen emittit (*hótā*) quod inflammandum fundit simulque eo potitur, illius possessor fit (*dắsvān*), et ideo demum dives (*vásu*).

Aliunde ignis nascitur e libamine quod eum gignit, alit atque corroborat; illius ergo filius est (*sūnúḥ sáhasaḥ*) ; at, postquam natus est, ignis est lucidus, clarus (*jātávedas*), flammæque ipsius agitantur (*vípra*).

Quæ epithetorum connexio facile intelligi potest, aperteque amplificatio apparet; hoc idem in loco sequenti notandum est :

1. Regnaud, *Le caractère et l'origine des jeux de mots védiques*, in *Rev. de l'Hist. d. Relig.*, XVI, 168.

III. 29. 7. *jātó agnī rocate cékitāno vājī vipraḥ kaviçastáḥ sudânuḥ.*

« Ignis, postquam natus est, fulget clarus, potionibus quæ corroborant instructus, agitatus, a sapientibus celebratus, plurimis oblationibus instructus. »

Nam ignis, cum se manifestat et ex oblationibus exit, lucidus est et clarus; paulatim incendit oblationes quæ ipsi vigorem dant et cum ipso crepitant.

Haud secus atque ignis nomen, soma nomen hujuscemodi amplificationes capit.

IX. 11. 7. *amitrahá vicaršaṇiḥ pávasva soma çám.*

« O soma! quod eum non amicum occidis, (quod es) maxime actuosum, (quod es) res bona : exardesce! »

Soma quidem, tanquam persona inductum, ad se inflammandum excitatur. Tunc enim rem poterit delere atque occidere fictam quæ non est ipsius amica et ideo inimica et quæ incremento obstat. Præterea soma flammas gignit, est ergo actuosum; pariter est bonum, nam oblectamentum est ignis qui id gustat et bibit.

In hoc alio versu, unum e metaphoricis soma nominibus, *barhíḥ*, *corroboramentum*, seriem epithetorum aliud ex alio gradatim connexorum poscit:

II. 3. 4. *déva barhir várdhamānam suvīram stīrṇám rāyé subháram védy asyám.*

« O fulgens! illud corroboramentum quod crescet, quod optime instructum est maribus, quod rem bonam fert, jacet in hoc altari ad divitias. »

Soma enim vocatur *barhih*, *corroboramentum*, quia ignem alit eique vigorem suppeditat.

Quod vero corroboramentum crescet, quoniam sub flammarum formas se evolvet.

Maribus quoque optime instructum est, scilicet virtute plurimarum flammarum gignendarum præditum.

Rem autem bonam fert, nam in suo gremio fert libamen quod ignis gustat et quo vescens gaudet.

Soma demum hic jacet, suas effundens aquas quarum divitias mox fulgentes in flammas jam mutabit.

Eodem modo sane omnes alias epithetorum in Rig-Veda, sive ignis, sive soma nomen comitantium series explanare possimus, in quibus de hujuscemodi amplificationibus agitur; nam vocabula quorum vis natura vicina est, adjacent et juxtaponuntur. Inde sequuntur hæ adjectivorum continuationes, per quas poetis vedicis quæque verissima sacrificii singula ordine describere ac varia exacti sacrificii momenta exsequi, et simul interpretationes ex istiusmodi documentis repetitas atque ad mores pertinentes docere licuit.

CAPUT OCTAVUM

DE PAROMŒIS

Paromœon in Rig-Veda non ex inscia pureque verbali vocabuli ad vocabulum auctoritate venit, sed perinde atque amplificationes, ex industria scienterque usurpatur.

Constat quidem paromœon in quadam vocabulorum pariter cadentium et ab eadem origine profectorum conjunctione quæ canorum concentum præstet.

Cum, verbi gratia, legitur in versu :

V. 50. 2. *sácemahi sacathyaìḥ.*
« Sequimur per eos qui sequuntur, »

casus instrumentalis *sacathyaìḥ* non vocabulo *sácemahi* inscienter adducitur : utrumque vero vocabulum scienter juxtapositum est ut demum modulatio aures canore mulceat.

Item de paromœis sequentibus :

III. 15. 6. *surúcā rucānáḥ.*
« Clarus per id quod clarissimum est. »

IX. 66. 25. *jīrā́ ajiráçocišaḥ.*
« Actuosi actuosis flammis. »

IX. 67. 8. *āyúḥ pavata āyáve.*
« Actuosus incenditur ad actuosum. »

IX. 86. 12. *ágre vācó agriyó góšu gachati.*
« In vocis acumine, is qui habet acumen it in vaccas. »

Quidquid id est, nihil aliud de istis paromœis est concludendum nisi minime aut saltem parum cogitationi prosunt, cum pleraque in tautologias cadant velut in hoc loco :

III. 15. 6. *surúcā rucānáḥ.*
« Clarus per id quod clarissimum est. »

Equidem hæc paromœa ad pure bracteatum eloquentiæ florem qui aures canore mulceat, spectant.
Nonnulla ergo, ita considerata, vere notanda sunt, inter quæ præsertim hoc insequens :

I. 164. 50. *yajñéna yajñám ayajanta devā́ḥ.*
« Per oblationem fulgentes sacrificaverunt oblationem, »

in quo sane consonantiæ lenitatique verborum aperte est servitum ; nec ullo fortasse alio versu quid agant valeantque paromœa in Rig-Veda manifestius indicari potest.

CAPUT NONUM

DE EJUSDEM VERBI REDINTEGRATIONE

Quædam orationis ratio, quæ forte cum paromœo permixte implicari possit, in eadem voce bis redintegrata et eodem casu usurpata constat, ut in loco sequenti :

> VI. 15. 6. *agnim-agnim vaḥ samidhā duvasyata.*
>
> « Cuique igni donum afferte per rem vestram incensam ! »

in quo eadem vox *agni* casu accusativo singulari usurpata redintegratur.

Hæ sunt orationis figuræ quas nominum formas haud semel redintegratas dicimus. Pertinent quippe ad notandum rei multiformis et vicissim mutabilis exemplum.

Ita in versu nuper citato de sacrificii igni depingendo agitur : atqui hic ignis non e flamma unica et permanenti constat ; cum enim nova oblatio incenditur, nova statim apparet flamma quæ in prioris flammæ locum subit.

Ad quem ordinem manifesto ostendendum et ad quam frequentiam sacrificii flammarum testandam, vox *agni* bis redintegrata spectat.

Itaque haud rari sunt in Rig-Veda loci similes illi loco quem modo notavimus :

VIII. 60. 17. *agním-agniṃ vaḥ... huvéma.*
« Utinam unumquemque vestrorum ignium vocemus! »

I. 12. 2. *agním-agniṃ hávīmabhiḥ sádā havanta viçpátim.*
« Per vocationes[1], perque sedem[2], vocent unumquemque ignem domus dominum! »

Quibus in omnibus locis non de igni universo totoque, sed de igni in flammarum continuarum seque instituentium varietate habito agitur.

In aliis versibus non ignis nomen, sed hujus usitatissimum epitheton, *devá*, vim nominis habens, ita redintegratur.

Sic in versu I. 26. 6, legimus :

devám̥-devaṃ yájāmahe.
« Unumquemque fulgentem sacrificamus. »

Quod sacrificatur, id est, quod ex sacrificio gignitur, est unaquæque fulgens flamma : unde redintegratio *devám̥-devam.*

Eodem modo, et ut hæc manifestior flammarum series ostendatur, explanabimus versum :

VIII. 27 13. *devám̥-devaṃ vó 'vase devám̥-devam abhiṣṭaye*
devám̥-devaṃ huvema vājasātaye.
« Utinam unumquemque fulgentem ad vestrum convivium vocemus;

1. *Vocationes,* id est, libamenta incensa et crepitantia.

2. *Sedes, sád,* per metaphoram, nomen libaminis in quo ignis sedere habetur.

Utinam unumquemque fulgentem ad corroboramentum vocemus;
Utinam unumquemque fulgentem ad firmissimam potionem occupandam vocemus! »

Equidem vocabulorum *agni* vel *devá* redintegratio ad multiplicationem flammarum et continuationem ostendendam pertinet; ea tamen continuatio tantummodo, si multæ oblationes vicissim inflammabuntur, fieri poterit; e flammarum igitur multiplicatione multiplicatio libamentorum proficiscitur, et prope nominum formas redintegratas *agní-agní* aut *devá-devá*, illam, verbi gratia, formam in Rig-Veda *yajñá-yajñá* reperire debemus; quam reipsa legimus :

I. 168. 1. *yajñā́-yajñā vaḥ... dhiyaṃ-dhiyaṃ... vaḥ u dadhidhve.*

« Per unamquamque vestrarum oblationum unamquamque vestrarum sententiarum statuistis. »

In hoc versu æquilatatio manifesta est. Quomodo enim unaquæque crepitans flamma (*dhī́-dhī́*) effecta est? Continuis equidem oblationibus quarum unaquæque flammas gignit : unde nominis forma *yajñá* casu instrumentali, *yajñā́-yajñā*, redintegrata.

Item in versu X. 93. 2, legitur :

yajñé-yajñe sá mártyo devā́n saparyati.

« In unaquaque oblatione, ille mortuus fulgentes comitatur. »

Cum multiplices, unde accusativus pluralis *devā́n*, sint fulgentes flammæ, pariter oblationes multiplices esse debent : alia aliis succedere debet ut unaquæque flammas gignat; etenim in unaquaque

oblatione, *yajñé-yajñe,* soma non incensum, *mártya*, flammas quibus se dat comitatur.

Ad postremum versus I. 123. 4, in primis notandus est ut illam oblationum continuationem cum flammarum continuatione æquiparatam aperte ostendamus :

> I. 123. 4. *gṛhám-gṛham ahanā́ yāty áchā*
> *divé-dive ádhi nā́mā dádhānā*
> *síṣāsantī dyotanā́ çáçvad ā́gāt*
> *ágram-agram íd bhajate vásūnām.*
>
> « In unamquamque sedem venit illa splendida, sua nomina sublime in quoque cœlo collocans ;
> Radians venit ad rem motam qua potiri tentat; unumquodque divitiarum acumen ipsa sortitur. »

Quæ splendida (*ahanā́*, ex *áhan*, *dies*) et radians (*dyotanā́*) incensum est libamen ; venit in unamquamque e suis domibus quæ libamen ipsum sub liquida specie sunt. Sublime etiam in unaquaque suarum flammarum, cœlo propter splendorem comparatarum, crepitat et fere suo nomine semetipsam designat. Deorsum autem contendit ad rem motam, id est ad semetipsam utpote sacrificii liquorem ; quam rem motam occupare tentat, qua potitur, et tunc, acutarum sub specie flammarum, quæ aliæ ex aliis oriuntur divitiasque, scilicet liquida libamenta, superant, semetipsam manifesto aperit.

CAPUT DECIMUM

DE INTERCALARIBUS VERSIBUS VEL DE REPETITIS CLAUSULIS

Sæpenumero non vocabulum modo sed pars quædam orationis et versus totus etiam iterantur et redintegrantur; tunc fit orationis ratio quam clausulam vocabimus.

Sic nobis in versu V. 41. 17, in quo eadem orationis pars iteratur, clausula occurrit :

dévāso vánate mártyo vaḥ
á devāso vanate mártyo vaḥ.
« O fulgentes, vobis mortuus potitur ;
O fulgentes, vobis mortuus potitur[1] ! »

Ceterum clausula multiformis est.

I. — Primo idem verborum circuitus in eodem versu repetitur, quo sane sententiam illo versu præcipue significatam acrius persequamur.

In hanc primam ille versus quem modo protulimus clausularum categoriam cadit.

En novum exemplum :

1. Soma non incensum, mortuum (*mártya*) fulgentibus potitur flammis quas in gremio excipit ut rursus ipsum inflammetur.

I. 138. 1. *āyuyuvé makhó devá āyuyuvé makháḥ.*
« Fulgens qui pugnat se junxit; (fulgens) qui pugnat se junxit[1]. »

II. — Interdum illa clausula leviter deflectitur ut sententiæ singulares in lucem proferantur ; tunc verborum mutatio mutationi sententiarum congruit quamque repercutit.

Esto versus :

I. 128. 7. *agnír yajñéšu jényo ná viçpátiḥ priyó yajñéšu viçpátiḥ.*
« Ignis est quasi domus dominus in oblationibus natus; est quasi domus dominus in oblationibus jucundus. »

Clausula in eorumdem verborum iteratione staret nisi hinc vocabulum *jénya* et illinc *priyá* inscriberentur. Quid ergo ista vocabula in duabus clausulæ partibus discrepant ? Discrepant profecto propterea quod vati duo ignis attributa referre in animo fuit :

1° Ignis oblationibus inest et ex illis nascitur (*jénya*) ;

2° Ignis quoque oblationibus inest, sed illis fruitur (*priyá*).

Item in clausula versus I. 138. 1, vocabulum *mahitvám* in altera parte expressum ex altera excessit cujus in locum vox *stotrám* venit :

1. Ignis pugnat per suas acutas flammas quæ pro armis sunt; quarum auxilio inimicos fictos qui suo obstant incremento, repellit. — Aliunde est tanquam junctus libamini quod ipse superat.

mahitvám asya taváso ná tandate
stotrám asya ná tandate.
« Magnitudo ejus corroboramenti[1] non minuitur; nec cantus ejus minuitur. »

In aliis versibus ea clausulæ mutatio gravior est:

VI. 2. 11. *dviṣó áṅhāṅsi duritā́ tarema*
tā́ tarema
távā́vasā tarema.
« Utinam transeamus inimicos, impedimenta, res quæ male se habent;
Utinam illa transeamus;
Utinam illa transeamus per tuum convivium! »

Equidem agitur de impedimentis inimicisque fictis quos incensa libamenta transire cupiunt ut in auras assurgant.

Atqui sententia in prima clausulæ parte prorsus exprimitur : *dviṣó áṅhāṅsi duritā́ tarema.*

Vates tamen insistit et, quo vehementius sententia exprimatur, amputans iterum dicit : *tā́ tarema.*

Sed convivii, scilicet libaminis, auxilio est transeundum, unde denique locutio : *ávasā tarema.*

Ne plura; huic clausulæ mutationi est propositum ut vehementer in sententio verbo expressa hæreremus.

III. — Persæpe autem una eademque formula in finem cujusque versus in hymno redit ut præcipua hujus hymni sententia illuminetur.

Eæ sunt hymnorum clausulæ :

1. *Corroboramentum* = soma, sed tanquam incensum habetur.

I. 96. *devā́ agníṃ dhārayan draviṇodā́ṁ.*
« Fulgentes sustinuerunt ignem pecuniæ datorem[1]. »

II. 12. *sá janāsa índraḥ.*
« O homines! ecce ardens! »

II. 25. *yáṃ-yaṃ yújaṃ kṛṇuté bráhmaṇas pátiḥ.*
« Unumquemque junctum ædificat corroboramenti dominus[2]. »

IV. — Interdum *padá* totum clausulam efficiens sic in eodem hymno rursus apparet.

Ita secunda pars versuum in hymnis I. 19; I. 29 et I. 97 clausula est :

I. 19. *marúdbhir agna ā́ gahi.*
« Per vehementes, o ignis! veni! »

I. 29. *ā́ tū́ na indra çaṅsaya góšv áçvešu súbhrišu sahásrešu tuvīmagha.*
« Igitur, o ardens! cane in nostris mille vaccis fulgentibus, in nostris mille equis fulgentibus, tu qui fortitudine donatus es[3]. »

1. Id est, libamenta incensa sustinuerunt ignem qui sibi pecuniam, scilicet libamen, dat.
2. Corroboramenti dominus est ignis qui soma potitur; ignis quoque unamquamque e flammis, ut ita dicam, libamini jungit.
3. Ignis ardens ad crepitum incitatur :
hinc in vaccis = libamentis quæ illi lac præstant;
illinc in equis = flammis, libamini junctis.
Præterea ignis vescitur soma quod est ejus corroboramentum et ei semetipsum dat.

I. 97. *ápa naḥ çóçucad aghám.*

« Emittens radios nostræ rei malæ[1]. »

V. — Una et eadem formula non solum in eodem hymno sed sæpe etiam in versu multorum hymnorum[2] finali occurrit.

Ea est clausula :

prātár makšú dhiyávasur jagamyāt.

« Ille velox, qui est dives per cogitationem, processit[3]. »

quæ hymnos 58; 60; 61; 62; 63 et 64 e Maṇḍala I circumscribit.

Item clausula :

vidyámešáṃ vṛjánaṃ jīrádānum.

« Utinam libamen cognoscamus (et) involucrum cujus liquor est res actuosa[4]. »

hymnos 165; 169; 171 et 173 e Maṇḍala I circumscribit.

VI. — Alterum *padá* eodem modo in multorum hymnorum fine invenitur. Quod fit in hemistichio :

1. Libamen dici potest *res mala* quamdiu non fulget; fit contra pulchrum et bonum postquam inflammatur et radiat.

2. Hæc est quidem una multarum rationum a quibus plerique commentatores proficiscuntur ut uni et eidem scriptori omnes eodem modo circumscriptos hymnos addicant. — Unde liqueret ut *Nodhas Gautama* hymnos, quorum clausulam notamus, scriberet.

3. Agitur de soma rapidis aquis et libamentis prædito quæ crepitant cum inflammantur.

4. Libamen suo in gremio actuosum includit liquorem illius soma quod flammas gignit.

tán no mitró váruṇo māmahantām
áditiḥ síndhuḥ pṛthiví utá dyaúḥ.
« Ut amicus, is qui involvit, illa exsoluta, fluvius, terra cœlumque augeant nostram rem quæ adest[1] ! »

quod rursus in fine hymnorum 94; 96; 98; 100; 101; 103; 105; 106; 107; 108; 109; 110; 111; 112; 113; 114 et 115 e Maṇḍala I invenitur.

VII. — Ad postremum versus totus in fine multorum hymnorum interdum redintegratur.

Ita hic versus :

iḷām agne purudáṅsaṃ saníṃ góḥ
çaçvattamáṃ hávamānāya sādha
syā́n naḥ sūnús tánayo vijā́vā́gne
sā́ te sumatír bhūtv asmé.
« Ei qui vocat[2], o ignis! perfice libamen; subige vaccam quæ se manifestat per multas res[3], quæ maxime actuosa est[4];
sit[5], o ignis! noster filius, nostra soboles, nostra procreatio[6]!
utinam tua bona sententia[7] nobis sit! »

1. Agitur de igni vel de libamine incenso qui liquidum libamen sub flammarum speciem dilatare et augere debent.
2. Id quod vocat est soma incensum et crepitans.
3. Dubia est significatio vocabuli *purudáṅsa.*
4. Libamen, aut, per metaphoram, vacca se per multa, quæ continet, libamenta manifestat; ex eisdem simul et motum et vim, qua gignit ignem, sumit.
5. Id quod vocat.
6. Soma pavamâna (quod vocat, crepitat) est filius soma liquidi quod ipsum gignit et procreat — *Vijávan* est vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, cujus significatio *procreationis, sobolis,* dubia est.
7. Bona ignis sententia crepitus est.

circumscribit hymnos 1; 5; 6; 7; 22 et 23 e Maṇḍala III.

Eodem modo hic versus :

çunáṃ huvema maghávānam índram
asmín bháre nŕ̥tamaṃ vā́jasātau
çr̥ṇvántam ugrám ūtáye samátsu
ghnántam vr̥trā́ṇi saṃjítaṃ dhánānām.

« In hanc rem quæ gerit[1], in firmissimam potionem occupandam, utinam ad potum vocemus incrementum[2], illum potentissimum ardentem, qui maxime mas est[3], qui audit, qui potens est, qui involventes occidit in præliis, qui oblationum victor est[4] ! »

iterum invenitur in fine hymnorum 30; 31; 32; 34; 35; 36; 38; 39; 43; 48; 49 et 50 e Maṇḍala III.

1. Libamen quod flammas gerit, sustinet.
2. Flammæ quæ nascuntur e soma, cujus sunt soboles.
3. Ignis validus est, soma adjuvante; ceterum ipse quoque e libamentis incendendis flammas gignit.
4. Scilicet qui oblationibus potitur, easque inflammatas occupat.

CAPUT UNDECIMUM

DE FIGURARUM COMPOSITIONE
QUAM MULTIPLEX SIT VEDICA ORATIO

Separatim adhuc unamquamque figurarum in quibus vedica rhetorica constat, persecuti sumus; quare uniuscujusque rationis principia notare et in lucem proferre, varietatem docere et denique penitus pernoscere nobis licuit.

Nunc autem operæ pretium est docere quomodo hæ figuræ inter se conjungantur et hanc orationem metaphoricam et sæpe obscuram, in qua constet Rig-Veda, pariant.

§ 1. *De metaphorice compositis figuris*

Nullus est enim in hymnis versus qui non plures paucioresve artis rhetoricæ figuras inter se junctas patiatur; quas *conjunctiones metaphorice compositas* dicimus; et duobus his infra exemplis multiplex illarum figurarum natura judicabitur.

I. 187. 11. *táṃ tvā vayám pito vácobhir gắvo ná havyắ susūdima*
devébhyas tvā sadhamắdam asmábhyaṃ tvā sadhamắdam.

« Te, o potio quæ ades! nos, ut vaccæ, per voces te degustavimus, (æque ac) oblationes;
fulgentibus (te degustavimus) te quæ ejusdem potionis particeps es;
nobis (te degustavimus) te quæ ejusdem potionis particeps es. »

In quo versu de libamine quod sacrificatores fuderunt et in flammas fulgentes mutaverunt, agitur; quot vero figuræ ad istam sententiam exprimendam!

1° Primo flammarum nomen geminatur; hinc enim flammæ natura sunt fulgentes (*devébhyaḥ*); illinc crepitantes (*vácobhiḥ*).

2° Oblationum nomen pariter, quamvis multiplicius etiam, iteratur. Nam primo libamenta sunt oblationes (*havyā́*) quibus sacrificium peragitur; deinde ignis potionem (*pitú*) metaphorice constituunt; denique ex illorum aquis ad vaccarum lac collatis, nova metaphorica appellatio, *gā́vaḥ*, oritur.

3° Ex quo fiunt duæ comparationes; scilicet implicita libamentorum cum potione quadam (*pitú*), et explicita cum vaccis (*gā́vo ná*).

4° Aliunde pronomina *vayám* et *asmábhyam* sacrificatores grammatice quidem, at non re, significant; quod formula *vayám... gā́vo ná* testatur. Quid enim verbis opus est? Non sane sacrificatores ipsi sunt *tanquam vaccæ*, at saltem oblationes quas afferunt: sacrificatores ergo suis oblationibus omnino assimilantur.

5° Ex hac assimilatione oblationes tanquam personæ inducuntur; quæ reipsa partes, quæ solummodo hominum sunt, agere videntur.

6° Ad postremum notanda est hæc redintegratio, *tvā sadhamā́dam... tvā sadhamā́dam*, ex qua quædam clausula constat.

Illæ sunt igitur quinque orationis rationes inter se compositæ.

Ex hoc alio loco inspecto eadem nobis notanda erunt :

> VI. 50. 8. *ā́ no deváḥ savitā́ trā́yamāṇo hiraṇyapāṇir yajató jagamyāt*
> *yó dátravān ušā́so ná prátīkaṃ vyūrṇuté dāçúše vā́ryāṇi.*
>
> « Ad nos venit ille fulgens qui liquorem elicit, qui transit, cujus aureæ sunt manus (et) qui sacrificat ;
> ille qui, donorum possessor, evolvit ei qui habet donum, rem quæ objacet, velut auroras (scilicet) thesauros. »

1° Vocabulum *deváḥ* est pars subjectiva verborum *jagamyāt* et *vyūrṇuté;* præterea epitheta *savitā́, yajatáḥ, dátravān* et præsertim *hiraṇyapāṇiḥ* accipit : nequaquam igitur de inductione tanquam personæ rei quam significat, id est ignis, ambigi potest.

2° Nomen ignis sub vocabulis *deváḥ, dátravān* et *dāçváḥ* iteratur.

3° Nomen quoque libaminis sub vocabulis *prátīkam* et *vā́ryāṇi* pariter iteratur.

4° Præterea libamen cum auroris, *ušáso ná*, explicite comparatur (postquam incensum est), et implicite cum thesauris, *vā́ryāṇi.*

5° Denique in hoc loco duæ assimilationes inspiciendæ nobis sunt.

Locutio enim *ušáso ná prátīkam* docet rem quæ objacet (igni fulgenti), *prátīkam*, auroris, *ušásaḥ*, assimilatam esse. Atqui auroræ sacrificii flammas metaphorice indicant; vocabulum autem *prátīkam* nihil aliud nisi rem in ignis conspectu positam, scilicet libamen, significare potest. Libamen ipsum igitur est tanquam flammæ : unde apparet ut sacrificii elementa inter se assimilentur.

Denique in ultima locutione, *ā́ no deváḥ... jagamyāt, ad nos venit ille fulgens*, quam vim pronomen *naḥ* habet? Grammatice quidem sacrificatores designat. Num igitur ad sacrificatores ipsos ille fulgens, scilicet ignis, venit? Non profecto ad sacrificatores, sed contra ad oblationes quas occuparet atque incenderet; ergo pronomen *naḥ* oblationes reipsa designat : unde apparet ut sacrificatores suis donis omnino assimilentur.

§ 2. *De propriorum et figuratorum vocabulorum complexione*

Quod si ex utroque supra citato loco judicabimus, nunc pleraque in Rig-Veda occurrentia vocabula metaphorice usurpata esse constabit.

Abest tamen ut omnia ita usurpentur; hymni enim nonnulla præbent propria vocabula, scilicet nomina quæ rem cui congruunt, sine figura significant.

Sit pro exemplo versus :

IV. 13. 1. *práty agnir ušásām ágram akhyad*
vibhātīnā́ṃ sumánā ratnadhéyam

yātám açvinā sukŕto duroṇám út sū́ryo jyótišā devá eti.

« Ignis recte cogitans aspiciebat radiantium aurorarum acùmen quod donum constituit;
utinam, o vos duo equites! veniatis in domum illius qui affabre factus est! sol fulgens per suam lucem assurgit. »

Fere quidem omnia in hoc loco vobabula figurata sunt: atqui unum saltem exstat quod proprie apteque usurpatur, scilicet nomem *agníḥ* quod sine ulla metaphora sacrificii ignem indicat.

Item in hoc alio versu :

III. 4. 10. *vánaspaté 'va sṛjópa devā́n agnír havíḥ çamitā́ sūdayāti*
séd u hótā satyátaro yajāti yáthā dévānāṃ jánimāni véda.

« O ligni domine! funde fulgentes!
utinam ignis ædificator oblationem degustet!
et fusor manifestatior ita sacrificet ut fulgentium ortus noscat! »

duo propria vocabula permultis vocabulis figuratis juncta sunt. Vocabulum enim *agníḥ* significat ignem proprie dictum, sacrificii ignem; item *havíḥ* nomen est oblationis, doni liquidi ad sacrificium sustinendum reservati.

Ut igitur breviter summam contraham, non cuncta vedica vocabula esse metaphorica ac figurata contendam; quamvis pleraque hæc atque talia sint, nonnula tamen vim propriam declarantia occurrunt; quæ propria vocabula vocabulis figuratis adhærescunt et ita pariunt id quod Bergaigne nuncupabat

« *des combinaisons incohérentes du terme propre*
« *et du terme figuré*[1]. »

§ 3. *De Paradoxis*

Sæpenumero hæ proprii et figurati vocabuli complexiones ad paradoxa pertinent; cum paradoxum dicimus, intelligatur oportet enuntiatio sententiarum contrariarum vel antitheticarum insolentia ipsa quarum animus movendus est.

Hymnus I. 164, in primis de hac re annotandus est; itaque noster Regnaud dicere potuit : « Le » caractère énigmatique des métaphores com- » pliquées et souvent d'apparence paradoxale, qui » reviennent à chaque vers de l'hymne en ques- » tion, ne saurait être contesté par personne. En » différents endroits, nous sommes avertis par l'au- » teur lui-même qu'il nous propose de véritables » devinettes; et, ne nous le dirait-il pas, qu'il est » évident que, d'un bout à l'autre de l'œuvre, le » sens propre est généralement recouvert d'un voile » qu'avant tout l'interprète a pour tâche de sou- » lever[2]. »

Ex hoc hymno igitur I. 164. nonnullos excerpemus versus qui nobis facultatem dabunt plane sentiendi quid vedicum paradoxum sit[3].

1. Bergaigne, *Quelques observations sur les figures de rhétorique dans le Rig-Véda,* in *Mém. de la Société de Ling. de Paris,* IV, 106.

2. Regnaud, *Études védiques et post-védiques,* p. 2.

3. Versuum sequentium translationem e diligentissima professoris Regnaud pervestigatione de hymno I. 164

1.

Asyá vāmásya palitásya hótus tásya bhrā̂tā madhyamó asty áçnaḥ
tṛtī́yo bhrā̂tā ghṛtápṛšṭho asyā̂trāpaçyaṃ viçpátiṃ saptáputram.

« De ce sacrificateur agréable, ancien, le frère puiné est l'*açna*. Il y a un troisième frère couvert de *ghṛta* (beurre-soma). C'est en cela que j'ai vu le chef de maison aux sept fils. »

Constat enim paradoxum in assimilatione domus domini septenis filiis, scilicet ignis septenis flammis præditi, tribus fratribus qui sunt quoque ignis ab aliis partibus habitus :

1º ignis sacrificator, *hótṛ;*
2º ignis acutus, *áçna;*
3º ignis butyro adspersus, *ghṛtápṛšṭha.*

2.

Saptá yuñjanti rátham ékacakram éko áçvo vahati saptánāmā
trinā́bhi cakrám ajáram anarváṃ yátremā́ víçvā bhúvanā̆dhi tasthúḥ.

« Sept (chevaux) attellent le char qui n'a qu'une roue ; un seul cheval porte les choses qui ont sept caractères distinctifs. Il y a une roue à trois moyeux qui est toujours là, qui ne s'en va pas, (et) dans laquelle se tiennent tous ces êtres. »

(*Études védiques et post-védiques. Première partie*) excerpimus.

Si quis de singulis copiosius agere voluerit, illum quoque ad eamdem investigationem rejiciemus.

Illo in versu quatuor saltem paradoxa inveniuntur :

1° Currus cui una tantum rota est : de sacrificii curru (flammis) agitur, cui una tantum est rota, scilicet libamen.

2° Rota cui tres sunt modioli, libamen est quod gignit flammas sub triplice aspectu (Cf. tres fratres, in superiore versu).

3° Rota quæ semper hic est, quæ non proficiscitur, est etiam libamen quod se ex loco non movet, semper adest, cum in flammas mutatur.

4° Denique rota in qua res omnes naturæ versantur, est pariter libamen e quo flammæ, quas ipsum gignit, exeunt.

3.

Imáṃ ráthaṁ ádhi yé saptá tasthúḥ saptácakraṃ saptá vahanty áçvāḥ.

« Ce char, sur lequel sont sept chevaux, a sept roues, et sept chevaux le traînent. »

Paradoxum currus-libaminis qui septenas sustinet flammas, quæ tamen, equis assimilatæ, eum trahunt ac promovent; unde libamen septenis rotis, nec jam una tantum rota ut supra ; unaquæque enim ex illis rotis-libamentis flamma-equo movetur.

§ 4. *De Ænigmatis*

Paradoxum autem interrogative exprimi potest; tunc ænigma fit; cujus exempla in eodem hymno I. 164 non desunt.

4.

Kó dadarça prathamám̥ jā́yamānam asthanvántam̥ yád anasthā́ bíbharti
bhū́myā ásur ásr̥g ātmā́ kvà svit kó vidvā́n̊sam úpa gāt prā́šṭum etát.

« Qui a vu le premier né, lorsque celle qui est sans os porte (ou nourrit) celui qui a des os? Où est le souffle, le sang, la respiration de la terre? qui est allé le demander à qui le sait? »

Vocabulum *prathamá* indicat ignem qui porro supra libamen se erigit, et ideo primus dici potest.

Illa exos est libamen natura liquidum; gerit ignem qui, se erigens, dici potest ossibus instructus.

Libamen est quoque terra, aut potius animantium vivorumque genetrix, anima sanguineque (flammis) munita. Ignis autem metaphorice est illarum rerum summa. Quod igitur responsum est interroganti *bhū́myā ásur ásr̥g ātmā́ kvà svit,* perlucet, quamvis subaudiatur: anima, sanguis spiritusque in ignis, qui adest, versantur.

Haud minus aperte responsum est ad ultimam interrogationem. Libamen quippe obscurum, et metaphorice ignarum, it consultum ignem illumi-

natum (vocabulum « *illuminatum* » in physiologicam partem « *fulgens* », et in moralem « *sapiens* », interpretandum est).

34.

Pṛchā́mi tvā páram ántam pṛthivyā́ḥ pṛchā́mi yátra bhúvanasya nā́bhiḥ
pṛchā́mi tvā vŕṣ̌ṇo áçvasya rétaḥ pṛchā́mi vācáḥ paramám̥ vyòma.

« Je te demande (quelle est) l'extrémité supérieure de la large ;
Je te demande (ce) dans quoi se trouve le nombril de la production ;
Je te demande (quelle est) la semence du taureau-cheval ;
Je te demande (quel est) le ciel suprême de la parole. »

Qui versus a sequente, responsa continenti, separari non potest :

35.

Iyám̥ védiḥ páro ántaḥ pṛthivyā́ ayám̥ yajñó bhúvanasya nā́bhiḥ
ayám̥ sómo vŕṣ̌ṇo áçvasya réto brahmā́yám̥ vācáḥ paramám̥ vyòma.

« Voilà la vedi (l'autel) (qui est) l'extrémité supérieure de la large ;
Voilà la libation (qui est) le nombril de la production ;
Voilà le soma (qui est) la semence du taureau-cheval ;
Voilà le récitateur (qui est) le ciel suprême de la parole. »

1° Vox *védi* partem significat superiorem et incensam libaminis quod in hoc versu *res lata* dicitur.

2° Libamen autem est *bhúvanasya nábhiḥ*, quoniam flammas gignit quæ ex ipso exeunt et ejus, ut ita dicam, umbilicum efficiunt.

3° Soma quoque est libamen, liquidum semen quod ab ipso soma, ad taurum-equum collato, emittitur.

4° Denique supremum vocis cœlum, id est, locus quem ignis crepitans tenet, crepitantium flammarum summa est.

Ad postremum paradoxum ænigmaque, ut nos docent hi infra duo versus ex eodem hymno I. 164. extracti, temperari possunt.

17.

Aváḥ párena pará enávarena padá vatsám bíbhratī gaúr úd asthāt
sá kadrícī kám svid árdham párāgāt kvà svit sūte nahí yūthé antáḥ.

« La vache qui porte son veau, en bas par le pied supérieur, en haut par le pied inférieur, s'est dressée. Vers quelle direction se tourne-t-elle? Vers lequel des deux côtés s'est-elle dirigée? Où a-t-elle mis bas? Car ce n'est pas au milieu du troupeau. »

Prior hujus versus pars antitheton simul ac paradoxum vaccæ-libaminis et vituli-ignis nobis præbet.

1° Vacca-libamen enim infra sita est; e superiore igitur parte ignis nascitur.

2° Si nunc libamen incensum esse fingimus, sublime situm est; at inferiores partes liquoris id constituentis rursus inflammantur et ignem assurgentem gignunt.

Altera illius versus pars ænigma est duas interrogationes continens :

1° Ad quam regionem vacca-libamen se convertit? aut paulo explicatius : ad utram partem se intulit? Facile respondetur: Vacca-libamen se vertit et infert ad illam partem in qua suum vitulum, ignem, parit, scilicet porro.

2° Ubinam enixa est? Porro quoque, cum ignis flammas suas porro erigat.

48.

Dvā̆daça pradháyaç cakrám ékam̧ trī̆ni nábhyāni ká u tā̆c ciketa
tásmin sākám̧ triçatā̆ ná çañkávo 'rpitāḥ šaštir ná calācalā́sah.

« Il y a douze pradhis (rais ou jantes), une roue, trois (choses) qui ont un nombril. Qui pourrait connaître cela? En cela sont insérées ensemble trois cent soixante (choses) qui ne sont ni mobiles ni immobiles. »

Hoc modo paradoxum explanatur :

Duodecim *pradhis* sunt libamenta incensa cum duodecim anni lunis collata.

Sed si obscurum consideratur libamen, tunc per metaphoram unica est sacrificii currus rota.

At illud idem libamen in tres, quarum unaquæque umbilicum habet quo flammas, postquam genuit, alit, partes dividi potest.

Nunc quod ænigmati respondetur, facilius intelligi potest. Quis cognoscere queat id, scilicet libamen velut unum triave aut duodecim conceptum? Ignis profecto, qui ex ipso oritur et suis crepitibus illius rei notionem aperit ac præ se fert.

Sunt denique in hoc libamine flammæ cum trecentis et sexaginta anni diebus comparatæ, quæ simul mobiles sunt aut immobiles prout respicienti sententia est : mobiles utpote flammæ proprie dictæ quæ agitantur atque moventur; immobiles autem, utpote sub specie inertis libaminis adhuc versantur.

Ex omnibus profecto illis disputatis et præsertim ex istis modo citatis exemplis intelligetur quo obscuritatis oratio in Vig-Veda sæpe assequi possit. Præcipuum igitur interpretis opus summaque cura in distributione analytica rerum quæ in illa rhetorica versantur tam multiplice tamque varia, constare debet; nam sub hac tantummodo conditione explanatio pro certa proque stabili haberi potest.

Vidi ac perlegi.
Lugduni, ante d. tertium Kal. Feb. anno MDCCCC,
Facultatis Litterarum in Universitate Lugdunensi Decanus,
L. CLÉDAT.

Typis mandetur.
Academiæ Lugdunensis Rector,
G. COMPAYRÉ.

INDEX LOCORUM VEDICORUM

INDEX RERUM

Chalon-s-Saône. Imprimerie française et orientale E. Bertrand

HAC ITER EST